Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

Ad

LECTOREM;

LECTOR AMICE;

SAtis prudentiæ civilis hactenus hauſtum, clamabis, verè clamabis. Nec enim ſine farragine Præceptorum Ordo Politicus. Scripſére multa literatiores Viri, iique magni, quorum etiam edecumata ſcripta loquitur & miratur jam Univerſitas noſtra. Ideò calamum feriari juſsi Novâ ſpe autem excitus vel conamen hoc meum doctiori orbi gratius fore, nolui tacere, ſed per mea Me etiam Meditamenta utilem, utinam utilem! offerre deſiderantibus. Habes autem Meditamenta ex Tacitô Politicorum ſupremo Magiſtro, habes canones

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

& axiomata eruta pro ſtatu & ſtatûs Ratione. Quia is monſtrat ſtatum, quia explicat verſuras & flexuras Statûs, oſtenditque machinamenta; brevibus, quia Taciti oculus prudens & perſpicax oculus, ideò amplexatus hos labores: Principem, Miniſtros, Populum indagat, & quomodo iſtum molliter tractare, illos fideliter habere, hunc firmiter formare debeamus, temperare verò omnes. Nihil de ipsâ Republicâ dicam, nihil de Naturâ, Moribus, Actionibus Regentium, Obedientium: non tacet noſter Tacitus, quando tacitis conſiliis finguntur actiones, quibus prudentiſſimum objectat ſufflamen, ubi alter in Receſſûs animorum penetraverit. Omnia pro civili Statûs Bonô explicat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

plicat illuſtre ingenium. Lege itaque Lector, quæ vides multæ curæ in hôc parvô libellô. Lege, ſed ſine affectu adverſus Scriptorem. Si vides oculis tuis, quæ forte an aſpera forent, ſi cenſes iniqua Menti civili vel animæ Chriſtianæ, priuſquam judices, rimare finem Scripti. Non enim te lædere, ſed ubi lædi forte poſſis, quantum in me, Tibi exhibere promtiſſimè diſcupio. Ipſe Ego ſum Chriſtianus, & Chriſtiani nihil à me alienum volo. Planè damno doloſos Politicos flexus, & quicquid in perniciem aliorum moliuntur injuſtâ regulâ, propriæ tantùm ſalutis cupidi. Interea Tuâ etiam & Meâ intereſt, ipſorum fucatos animos ſcire & introſpicere, ut intelligas, Verba

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

ipſorum deviare à verô animo & decentibus actionibus. Intereſt, obliquum Statum intelligere, & prodeſt contraria formare ſiniſtrè eunti Statûs Hoſti, quæ cautè exponit noſter Apex & Culmen temperati Statûs, ſapiens Tacitus. Si ita prudens Rerum & Actionum, ſi Statûs intelligens, ſi temperans, inter præcipites casûs, quibus ſubjecta Reſpublica, merebere verendum Nomen Politici, & ſalutarem famam benè diſpoſiti Regiminis. Hanc ut non fingo, ità Te, Lector Amice, modò rogito, ut Præcepta mea, & Præceptorum Scopum attendas. Licet enim illa brevia, licet hic non benè expoſitus, multa tamen paucis dicere neceſſe habui, cum me

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

ſuccinctum voluit, imò juſſit Nomen parvi libelli. Exiguus hic, ut ipſe cernis, ſed ſi per ingenium tuum, per Rationes, per Exempla Præceptorum longiorem feceris, nec Ego dicam Tibi ſcripturus, nec tuas reprehenſurus cogitationes. Præſentia boni conſule, & ſi te benignum meo labori videro, veluti expeto, videbis & audies me occupatum tui Gratia enixiſſimè. Fave intereà operi & operæ, & Mentem animi æſtima, ſi conſcriptum nauſeas faſtidiſque Meletema, quæ ſolum indagavit Statum, quæ veram, ſi non invenit, quæſivit tamen Status Rationem, ut Reſpublica tua maneret intacta & illibata. Civile factum, ubi civilia tractamus & omnigenam Populorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

ſalutem & grande Incrementum ſcrutamur: talem quiſquis audet rodere animum, ſine animô ille, & ſtigma circumfert ſiniſtri Iudicii, inuſtum juſtiſſimè. Vale.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

JOANNIS TOBIÆ GEISLERI,
Miletenſis

DE STATU POLITICO; ſecundum Præcepta Taciti formatô.

In Nomine JESU CHRISTI!

CAPUT I.

De Definitione Statûs Nominali.

NOTÆ.

§. 1. *Præfatio Autoris, & Commendatio Studii Politici ſed brevis.*

2. *Quid in omni Definitione Rei alicujus obſervandum.*

3. *Etymologia Statûs examinatur: ubi, quid Vocabulum Stare, & Politicis & ICtis.*

4. *Inter Græcos quænam Statûs origo Grammatica, & Acceptio: & num Ariſtoteli nota fuerit Ratio Statûs?*

5. *Ratio Statûs num ab Italis primùm inventa?*

6. *Status Vocabulum quales habeat Conſignificationes.*

7. *Status quot modis accipiatur.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

8. *Status quoad Rem quid ſignificet?*
9. *Status Perſonarum quid innuat: vel Genus vitæ, quod Perſona agit, vel inhærentem qualitatem communem, vel ſingularem dignitatem: ubi: Quid Quæſtio Statûs.*
10. *Specialiter quomodo Status Vocabulum accipiatur, vel* καθ' ἐξοχὴν, *vel propriè.*

1. DIſcurſus de Statu Cibus eſt Stomachorum magnorum ut cum *Antonio PereZio Beſoldus in Prolegom. ad Politic. judicat.* Ideò huic Materiæ ſcribendæ non defuêre decora & eximia ingenia, quæ colit Politicorum Chorus omnis. Hinc quid Ego ipſe, qui

ἀπτόλεμος καὶ ἄναλκις
Οὔτε ποτ' ἐν πολέμῳ ἀναρίθμος, οὔτ' ἐνὶ βουλῇ?

Verùm, cum optimum actione rerum & Reipublicæ tractatione & officiis civilibus ſe detinere, imò animum ad rerum civilium certamen parare, longè pulcherrimum: qui enim utilem ſe efficere Civibus, Mortalibuſque propoſitum habet, ſimul & exercetur & proficit, ut cenſet Advocatus bonæ mentis *Seneca cap. 3. de Tranq. Anim.* En! Ego illud optimum & pulcherrimum eligens prodeſſe tibi volo, ut proficiam, ſi non voce, non conſiliô, tamen Ingeniô, quando de STATU ſcribo.

2. Omnis

2. Omnis autem, quæ à Ratione ſuſcipitur, de re aliquâ Inſtitutio, debet à definitione proficiſci, ut intelligatur, quid ſit id, de quô diſputetur. *Cic. lib.* v. *offic. pr.* Τῶν γὰρ περὶ ἑκάστην μέθοδον φιλοσοφοῦντι καὶ μὴ μόνον ἀναβλέποντι πρὸς τὸ πράττειν, οἰκεῖόν ἐστι τὸ μὴ παρορᾶν, μηδέ τι καταλείπειν, ἀλλὰ δηλοῦν τὴν περὶ ἕκαστον ἀλήθειαν, 3. *pol.* 5. Quibus ſervatis & Nominationem Statûs præmitto, & cognatam ſignificationem, & tandem Errorum Matrem Æquivocationem, quam tamen ultimam ex tricis variarum acceptionum explicaturus.

3. Nomen Statûs à Stare venire, & ille ſcit, qui primas didicit Romanorum literas. Verbum hoc nec ſine ambiguitate. Quandoque enim Conſiſtere ſignificat. Sic *Cicero orat. pro Cn. Planc.* Stare omnes debemus, tanquam in Orbe aliquâ Reipublicæ. Non diutius Imperium hoc ſtare poteſt, incluſis illis in Republicâ peſtibus. *Id. orat. pro Syll.* Ipsô, ſcilicet Verre, abſolutô Rempublicam ſtare non poſſe, credit dictus Romanorum Orator, *lib.* 1. *in Verr.* Ita Tiberius apud *Tacit. l.* VI. *Ann. c.* 30. Getulicum incolumem multâque gratiâ relinquit, reputante eô, publicum ſibi odium, extremam ætatem, magiſque Famâ, quàm vi ſtare res ſuas. *Liv. lib.* 5. *dec.* 1. dicit, ſtare Rempublicam, manentibus in Magiſtra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

tu, Sergiis, Virginiiſque non poſſe. Roma ſe ſecuram non ſperavit fore, ſi nomen uſquam ſtantis maneret Carthaginis, *ſec. Vellej. Paterc. l.* 1. *c.* 13. Quandoque denotat etiam hoc verbum Stare vigilantem eſſe, quod innuit Imperatorum ille *ap. Tranquill. c.* 24. dicens: Imperatorem ſtantem mori debere; quod Turboni etiam *Dion. in Adriano tribuit. Tiberius Gracchus ap. Vellej. Paterc. lib.* 2. *c.* 2. Octavio pro bonô publicô ſtanti Imperium abrogat. Tandem & propriè Stare, ſtare ſuis pedibus, & pro poſitione corporis cum immobilitate accipitur, quale Honorem ergà ſuperiorem, & quandam ſubmiſſionem demonſtrat. Ita *Seneca epiſt.* 47. *pr.* Rideo iſtos, qui turpe exiſtimant, cum Servô cænare. Quare? Niſi quia ſuperbiſſima Conſuetudo cænanti Domino Stantium Servorum turbam circumdedit. Sic *Tacit. lib.* 3. *Ann. c.* 14. dicit, cum Piſonem, ac ſi in conviviô Germanici, cibos ejus manibus infeciſſet, deferunt Accuſatores: quippe abſurdum videbatur, inter aliena Servitia & tot Adſtantium viſu, ipsô Germanicô coram id auſum. De Advocatis dicunt *Impp. Valent. & Valens l. quiſquis.* 6. *C. de poſtul.* Nec putet quiſquam honori ſuo aliquid detractum eſſe, cum ipſe neceſſitatem elegerit Standi & contemſerit ſedendi. Nec enim Advo-

catus,

catus, nec Litigator coram judice cauſſam proponens ſedere debet, *l. honorati.* 1. *C. de offic. civil. Iudic.* niſi ſit Vir ſupremæ Dignitatis, qui in Jus vocatus, nè quas, ante probationes, injurias patiatur, ſedendi quoque in aliquâ Secretarii parte, quæ judicibus inferior, altercantibus verò ſuperior eſſe videtur, habet licentiam, *l. quoties.* 3. *C. ubi Senat. vel Clariſſimi.* Secretarium autem, in cujus parte Perſona illuſtris ſedere poteſt, eſt Auditorium ſive Dicaſterium, *l. lecta.* 40. *ff. de reb. cred. l. Conſiliarii.* 5. *ff. de offic. Aſſeſſ.* in quô tres veluti gradus, Judicum, Illuſtrium, Altercantium fuere, annotante *Gothofr. ad d. l. quoties.*

4. Si Græcorum forulos excutiendi animus, vocabitur Status στάσις, ab ἵστημι, quod idem ſignificat, atque Stabilio, ut *Rom.* 1. *verſ. ult.* ἀλλὰ Νόμον ἱστῶμεν: atque ſtatuo, ſto, pono, conſiſto: quomodo ipſe Chriſtus *Matth.* 11. *verſ.* 25. loquitur: Πᾶσα βασιλεία μερισθεῖσα καθ' ἑαυτῆς ἐρημοῦται καὶ πᾶσα πόλις καὶ οἰκία μερισθεῖσα καθ' ἑαυτῆς οὐ σταθήσεται. & *Verſ.* 26. Πῶς σταθήσεται ἡ βασιλεία αὐτοῦ. Inde Status dicitur στάσις; ut *Hebr.* 9. *v.* 8. Τοῦτο δηλοῦντος τοῦ Πνεύματος τοῦ ἁγίου, μήπω πεφανερῶσθαι τὴν τῶν ἁγίων ὁδὸν, ἔτι τῆς πρώτης σκηνῆς ἐχούσης στάσιν: quanquam aliàs & præcipuè pro Seditione, Tumultu, Commotione apud

Græcos

Græcos ſumatur. Cum primis Ariſtoteles id innuit; ſic *lib.* 5. *Polit. c.* 1. dicens: καθ' οὐσίαν ἄνισοι ὄντες ἁπλῶς ἄνισοι ὑπολαμβάνουσιν εἶναι· οἱ δὲ ὡς ἄνισοι ὄντες, πλεονεκτεῖν ζητοῦσι. τὸ γὰρ πλεῖον ἄνισον, καὶ διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν, ὅταν μὴ κατὰ τὴν ὑπόληψιν, ἣν ἑκάτεροι τυγχάνουσιν ἔχοντες, μετέχωσι, τῆς πολιτείας στασιάζουσι (ſeditiones movent) Πάντων δὲ δικαιότατα μὲν ἂν στασιάζοιεν, ἥκιστα δὲ τοῦτο πράττουσιν οἱ κατ' ἀρετὴν διαφέροντες. Et paulò poſt: ἀρχαὶ μὲν, ὡς εἰπεῖν, αὗται καὶ πηγαὶ τῶν στάσεών εἰσιν, ὅθεν στασιάζουσι. Et eodem: πανταχοῦ γὰρ διὰ τὸ ἄνισον ἡ στάσις: quô vocabulô & in ſequentibus de Seditione agentibus capitibus utitur. Aliàs pro vocabulo στάσεως, cum Statum ſignificat, ponitur κατάστασις & καθεστηκυῖα πολιτεία. Sic Ariſtoteles *d. l.* 5. *pol. c.* 1. notabiliter de Statu: Διὸ καὶ αἱ μεταβολαὶ γίγνονται διχῶς· ὁτὲ μὲν γὰρ πρὸς τὴν πολιτείαν, ὅπως ἐκ τῆς καθεστηκυίας ἄλλην καταστήσωσιν· οἷον ἐκ Δημοκρατίας ὀλιγαρχίαν, ἢ Δημοκρατίαν ἐξ ὀλιγαρχίας, ἢ Πολιτείαν καὶ Ἀριστοκρατίαν ἐκ τούτων, ἢ ταύτας ἐξ ἐκείνων ὁτὲ δ' οὐ πρὸς τὴν καθεστηκυῖαν πολιτείαν, ἀλλὰ τὴν μὲν κατάστασιν προαιροῦνται τὴν αὐτήν. Ita *Actor.* 7. *v.* 28. Τίς σε κατέστησεν Ἄρχοντα καὶ δικαστήν; & *Tit.* 1. *v.* 5. Καὶ καταστήσῃς κατὰ πόλιν Πρεσβυτέρους. Vocatur etiam κατεστὼς ῥυθμὸς in illô Democriti: οὐδεμία μηχανὴ τῷ νῦν κατεστῶτι ῥυθμῷ, μὴ οὐκ ἀδικεῖν

ἀδικεῖν τοὺς ἄρχοντας, ἣν καὶ πάνυ ἀγαθοὶ ἔωσιν· fieri non poteſt, quin etiam optimi Principes, ut nunc rerum Status eſt, iniquè aliquid agant.

5. Ex hiſce perſpicuum ſatis, Statum vel Rationem Status non primùm ab Italis, ut nonnulli volunt, inventam, ſed potius excultam; quibus vocatur Ragione di Dominio, di Signoria, di Regno : Regione vel Ragionamento di Stato ; ut Gallis *Raiſon d'Eſtat*, ut Germanis, der Stat / quomodo ad differentiam der Stad vocabulum hoc, Germanâ Civitate donatum ſcribendum. Prima igitur Origo Statûs, non tamen ſecundum Rem, ſed Nomen, à Græcis promanavit ad Latinos, & alios.

6. Non autem Status adeò ſolus, ut non & circa ſe alias admittat voces cognomines. Vocari poteſt conditio. Ea eſt conditio liberorum Populorum, præcipueque hujus Principis Populi & omnium Gentium Domini & Victoris, poſſe ſuffragiis vel dare, vel detrahere, quod velit, cuique; *Cicer. orat. pro Cn. Planc.* Dici etiam Ratio poteſt Status ſecundum Eundem *lib.* 1. *Ep.* 8. Commutata tota Ratio eſt Senatus, Judiciorum, totius Reipublicæ. Si quis etiam Res Urbis, cum *Tac. lib.*4. *Ann. c.*32. vel Formam Principatus, cum *Nerone l.* 13. *Ann. c.* 4. aut Civitatis, ſecundum

Mar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

Marcellum *ap. Eund. l.* 4. *Hiſt. c.* 8. appellaverit, non illum errorem erraturum credo. Modum nominat *Vellej. Paterc. l.* 2. *c.* 89. Cato ſic impendentia ex ruinis incendiiſque Urbis & Commutatione Statûs publici pericula expoſuit, ut univerſus Senatus tranſiret in ejus ſententiam & Imperium ad priſtinum redactum Modum, L. Piſo Thracas in priſtinum pacis redegit Modum; *Id. d. lib.* 2. *c.* 99. qui & Statum Civitatis, Civitatis Habitum *d. c.* 99. vocitat, quemadmodum *Tacitus lib.* 1. *Hiſtor. c.* 4. Statum Provinciarum, Provinciarum Habitum.

7. Satis autem ambiguus Status, quem niſi rectè acceperis, vix intelliges, quid ſit Status, nedum quid Ratio Statûs. Status igitur ſumitur vel generaliter pro quâlibet conditione alicujus Rei vel Perſonæ: vel ſpecialiter.

8. In generali Acceptione quoad Rem Cicero dicit *lib.* 2. *Epiſt.* XI. Qui ſit omnium Rerum Status noſter, vides. Talis eſt Sapientis animus, qualis Mundi Status ſupra Lunam, ſemper illic ſerenum eſt, *Senec. ep.* 59. JCtis autem ſumitur pro ſtatâ ætate, annorum ſcilicet 25. *l. cum Pater.* 77. §. *Curatoris.* 14. *ff. de legat.* 2. *l. cum de ætate.* 13. *ff. de probat. l. ex his verbis.* 5. *C. quando dies Legat.*

9. Ratione Perſonæ Status denotat vel

genus

genus Vitæ, quale habet illa. Ego me non putem tueri meum Statum ſic poſſe, ut neque offendam animum cujuſquam, nec frangam dignitatem meam, inquit *Cicero lib.* 9. *Epiſt.* XVI. Is meæ Vitæ Status eſt, dicit idem Orator pro A. Cluent. ut omnis mihi Cura atque opera poſita ſit omnium periculis defendendis. Vel indicat inhærentem qualitatem communem, ut Cicero orat. pro P. Sextiô innuit: Dicam de omni Statu Sextii, de Genere Vitæ, de Natura, de Moribus. Sic & Juſtitiæ Sacerdotes de tali communi Statu Hominum diſponunt, *ff. h. t.* Imò & Libertinorum Statum, communem quidem, ſed non omnibus ægrè talem, quin potius genere ἀφ' ἑνὸς πρὸς ἕν, tripartitum antea fuiſſe dicunt; §. *Libertinorum.* 3. *Inſt. de libertin.* Hæc præter omnia & ſuos Statu liberos habent. *ff. h. t.* & nè de Statu, hoc eſt, de communi illâ, quam vivi habuerunt, qualitate. *arg. l. de Statu.* 1. §. *ſiquidem.* 4. *ff. ibid.* & *l. ſi in obſcuro.* 41. *pr. ff. de liberat. cauſſ.* Defunctorum poſt quinquennium quæratur, an Liber vel Servus, ſanciunt: vel denotat etiam qualitatem Perſonæ ſingularem; Dignitatem nempè ſolam. *Tacit. lib.* VI. *Annal. c.* 26. de Nervâ dicit, quod integrô Statu conſilium moriendi cœperit: Et *lib.* 3. *Ann. c.* 28. quod per leges Auguſti multorum exciſi Statûs:

Et

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

Et *lib.* 1. *Hiſtor. c.* 9. quod Mucianus lubricô Statu in ſecretum Aſiæ repoſitus. Menſe Januario noſtrum Statum recuperavimus, *Cicero orat. poſt Redit. in Senat. loquitur.* de adminiſtratione Reipublicæ ſcribam, quid ſit meus ſenſus & Status; *Cic. lib.* 1. *Ep.* IX. *qui l. ante quinquennium.* 3. *nè de Stat. defunct.* ut diſtinguatur à communi acceptione Statûs, vocatur Status honeſtior. *L. Homo liber.* 21. *ff. de Stat. Hom.* dicitur, quod homo liber, qui ſe vendidit, non ad ſuum Statum revertatur, ſed fiat libertinæ Conditionis. Sic diffamari Statum Ingenuorum prohibetur. *l diffamari.* 8. *C. de Ingen. manum.* Nec abſurde quæſtio Statûs intelligi poteſt quæſtio contra Dignitatem alterius mota, ut *l. cui neceſſitas.* 39 §. 2. & 3. *ff. de liberal. cauſ.* Eſt enim quæſtio hæc ex Præjudiciis, per quæ quæritur, an aliquis liber, vel libertus, vel legitimus, §. *præjudicialiter.* 13. *Inſt. de action.* contra quæ ſi quis quæſtionem movet, anne contra Dignitatem Perſonæ movebit. Tandem autem Vocabulum Status DignitatemPerſonæ denotare patet clariſſimè, cum Principes & Megiſtanes Imperii, Status Imperii vocantur; ut ſunt Principes Germani Status Romani Imperii, quales vel Mediatos, vel Immediatos apud Juris publici Scriptores legimus: quorum Naturam ſi quis deſiderat, illos evolvat.

10. Spe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

10. Specialiter autem, & quem ipſe hic meditor explicandum, accipitur Status pro qualitate Reipublicæ certæ ratione adminiſtrandæ: & vel κατ' ἐξοχὴν vocatur Status. *Tacit. l.4. Ann. c.33.* converſum dicit Statum. Tiberius Gracchus, promulgatis legibus agrariis, omnibus Statum concupiſcentibus ſumma imis miſcuit, & in præreptum atque anceps periculum Rempublicam adduxit, *Vell. Paterc. lib.2. cap. 2. &* *cap. 6.* de Cajo, fratre Gracchi dicit, quod nihil quietum in eôdem Statu reliquerit. Sic *d. lib. 2. c.91.* dicit: erant, qui feliciſſimum Statum (Reipublicæ, tempore Auguſti,) odiſſent; vel nominatur etiam Status propriè talis. Status publicus: *Vell. Pater. l. 2. c. 89.* Cato ex commutatione Statûs publici oſtendit pericula: Status Civitatis, *Cicer. orat. ad Quir. poſt redit.* Qui cuſtodes Reipublicæ eſſe debuerunt, ſalutem meam, Statum Civitatis, dignitatem Imperii vendiderunt. Versô Civitatis Statu nihil unquam priſci & integri moris manſit, *Tacit. l.1. Ann. c.4.* Status Urbis, *lib. 1. Hiſt. c. 4. & Agric. c.7.* Status Patriæ; *Cic. pro M. Lælio.* Divi quæritis; quæ lex ad Imperium, ad Majeſtatem, ad Statum Patriæ, ad ſalutem omnium pertinet. Status Reipublicæ. Status Reipublicæ me non delectat, *Cic. lib.1. Ep. c.7. & lib. 2. ep. 11.*

Velim

Velim ad me de omni Statu Reipublicæ quàm diligentiſſimè ſcribas. Status rerum communium *d. l. 2. ep.* XI. Status rerum, *Tacit. l.* 1. *Ann. c.* 2. Status rerum urbanarum, *Id. lib.* 1. *Ann. c.* 16. Status Rei, *§. ult. Inſt. de Iuſt. & Iur.* Status Imperii, *l. b.* 4. *Hiſt. c.* 85. Statio Principatus, *in orat. c.* 17. & quæ aliæ ſunt deſcriptiones, quas habent Politici & Hiſtorici.

CAPUT II.

De Definitione Reali Statûs.

1. *Continuatio dicendorum.*
2. *Status num ſit Regnum, ex mente Hippolithi à Lapide? quod Negatur.*
3. *Num ſit Forma Reipublicæ? examinatur, & refutatur; ubi quod, Romanum Imperium pura Monarchia contra Dn. CarpZovium.*
4. *Status num ſit Adminiſtratio Reipublicæ. Diſtinctio inter Adminiſtrationem Imperantis & delegatam reſolvitur: & Statum Adminiſtrationem Reipublicæ eſſe negatur; ſed per diſtinctionem.*
5. *Status definitio, & quid ſit?*
6. *Definitio examinanda proponitur.*
7. *Statûs Genus, num Qualitas? Probatur ex* Taciti lib. 4. Ann. c. 33.

8. *Diffe-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

8. *Differentia in Status definitione quid contineat?*
9. *Cauſſæ Statûs vel Internæ ſunt, vel Externæ.*
10. *Externa eſt Efficiens Magiſtratus: Impellentes dantur remiſsivè, cap.* VI.
11. *Externa altera eſt finis; nempè Salus Publica.*
12. *Interna eſt Forma Status,* RATIO.
13. *Materia circa quam, ſive objectum ſunt Perſonæ, Res civiles, Actiones tales, & probatur per* Tacit. l. 4. Annal. c. 32. *Subjectum autem Status integra datur Reſpublica.*

§. 1. VIdimus Statûs Explicationem generalem, & ambiguitate liber ſpatiatur, nondum tamen ſatis cognitus. Dicturus igitur, quid non ſit, & quomodo definiri non poſſit, poſt ea etiam, quid ille? & quodnam Genus, ceu legitimum, agnoſcat.

§. 2. Hippolithus à Lapide, quiſquis ille. *prolegom. ſect.* 11. Statum dicit eſſe Regnum, Imperium, Rempublicam, vel quocunque modò Dominatum. At Statum non eſſe Rempublicam, neque Dominatum puto, quod ſemper & apud Hiſtoricos & apud Politicos non conjungantur rectè, ſed obliquè: quod non unum per aliud explicetur,

cetur,ſed expoſitivè determinetur, quid ſit Status, quid Reſpublica. Nunquam enim dicitur,quod Status ſit Reſpublica,ſed quod ſit Reipublicæ. Prior eſt Reſpublica,poſterior Status. Status eſt in Republica, tanquam in ſubjecto recipiente: Reſpublica verſatur circa Statum,ut objectum. Neque propter Statum Reſpublica eſt, ut quæ per ſe conſiſtere poteſt. ſed propter Rempublicam Status formatur. Reſpublica eſt τάξις Πόλεως τῶν τε ἄλλων ἀρχῶν καὶ μάλιστα τῆς κυρίας πάντων, *lib.3.polit. c.1. & 4. & lib.4.cap.1.* At Status non eſt ordo, ſed eſt in ordine, non ſecundum præcepta politica ordinato, ſed hanc vel illam Rempublicam,pro Natura loci, Populi & temporis ordinante. Sic Reſpublica poteſt eſſe Monarchia, cujus de eſſentia, ut Princeps abſolute imperet: ea enim eſt, ἐν ᾗ εἷς ἁπάντων Κύριόν ἐστι, 1.*Rhet. c.*IIX. *Tacitus E. lib.3.Annal. c.* 26. dicit: Nobis Romulus, ut libitum,imperitaverat: at poteſt in Monarchia ſtatui, ut legibus obtemperet, quod de Tullio idem Tacitus dicit *d.l.*3. *Ann.c.*26. Servius Tullius Sanctor Legum fuit, quibus etiam Reges obtemperarent. Ita pulſô Tarquiniô adverſum Patrum factiones multa Populus paravit tuendæ libertatis & firmandæ concordiæ: multæque leges diſſenſione Ordinum, & apiſcendi illicitos honores, aut pellendi

claros

claros viros, aliaque ob prava per Vim latæ ſunt : *Id. ibid.* Antea vera fuit Politia , ut videre eſt apud *Livium lib. 2. Hiſtor.* at in hac Republica multa alia voluit Populus , per quæ qúalificata illa , & hæc qualificatio vocatur Status. Omnium clariſſimè autem Rempublicam & Statum dictus Tacitus diſtinguit *l. 4. Ann. c. 23.* Cunctas Nationes & Urbes Populus, aut Primores, aut ſinguli regunt : delecta ex his & conſtituta Reipublicæ forma laudari facilius , quàm evenire, vel ſi evenit, haud diuturna eſſe poteſt : Habes Rempublicam. Noſcenda igitur Vulgi Natura , & quibus modis temperanter habenda , Senatuſque & Optimatium ingenia maximè perdiſcenda : En Statum à Republica ſeparatum. Hunc etiam à Regno ſeparat *Iuſtinus lib. XI. Hiſt.* dicens : Mundus non poteſt duobus Solibus regi, neque orbis duo ſumma Regna, ſalvô Statu terrarum habere.

§. 3. Sed Status num erit forma Reipublicæ ? Ita quidam Politicorum, præſertim etiam Hippolithus à Lapide *part. 1. cap. 1.* opinantur ; ſed opinantur. Multum enim differre ſtatum & formam Reipublicæ quis non videt ex allegato loco Taciti , §. anteced. Utut concedo Statum , formam Reipublicæ nominari poſſe , abuſiva tamen erit locutio. Etenim forma dat eſſe Rei , & facit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

cit, ut res ſit. Sic Forma Monarchiæ eſt in Unitate Imperantis; Ariſtocratiæ in indiviſo Optimatium Imperio: Politiæ in univerſali & indiviſo Populi regimine: datâ igitur hâc formâ, datur etiam vera Reipublicæ ſpecies. Non idem eſt in Statu, ut qui Formæ jam exiſtenti ſupervenit. Neque ſtatim ſublatô Statu, tollitur Reſpublica, ut ſublatâ & extinctâ Formâ. Extirpatâ unitate Regiminis, ceſſat Monarchia; ſed non ea extinguitur, ſi Regi potentia circumſcribitur datis legibus, vel quædam alia ei pro ſalute Populi injunguntur, aut aliter atque è re veræ Monarchiæ, formantur, qui Status Monarchiæ. Electores in Romano Imperio eligunt Imperatorem; quatenus unum & ſupremum; vides Monarchiam perfectam, quia Formam Monarchiæ habes: quatenus ex accidente aſtringitur ille certis legibus, ſecundum quas Imperium regere debet; quatenus ratione provinciarum & Iurium datorum, Electores, Principes, cæteri, ſubjecti illi, & ut Capiti, pro obſervantia legum obediunt; Ecce! Statum Monarchiæ vides: quô ſublatô non tamen ſtatim univerſa Monarchia corruit. Puram E. Monarchiam eſſe Romanorum Imperium, quicquid dicit Vir aliàs magnæ Fidei *Carpzovius cap.* 13. *ſect.* 8. *Comment. ad L. Reg.* evidentiſſimè apparet. Accidens enim non

poteſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

poteſt mutare Rei formam vel Eſſentiam: at Status Romani Imperii eſt talis, E. Et licet audiat Imperator Sereniſſimos Electores in gravioribus cauſſis; non tamen audit eos, ut ſimul & æquali modô imperantes, ſed ut conſulentes: & hâc qualitate affectos nec audit ut Monarcha, qui quia unicus, ſemper per ſe talis, ſed quatenus per Accidens ad hunc Statum Reipublicæ obligatus. Diverſa ſic erunt ſtatus & forma Reipublicæ.

4. Putabam Statum definiri poſſe, quod ſit Adminiſtratio Reipublicæ cum Ratione à Magiſtratu ſuſcepta ob bonum publicum: ſed optimè dubitavi, num Status ſit Adminiſtratio Reipublicæ? Sunt, qui Statum & Adminiſtrationem Reipublicæ, ceu diverſa, non ſtatuunt; ſunt, qui inter adminiſtrationem ipſius Imperantis, & delegatam alteri diſtinguunt: illam, ut eſſentialem Majeſtatis ſequelam æſtimant, & ſic à Statu non diverſam: hanc verò, ut quidem Majeſtatem Imperantis non minuentem, ſed tamen à Reipublicæ Statu ſeperatam, non tamen ſtatui contrariam. Priores, credunt Statum eſſe Reipublicæ formam: Adminiſtrationem igitur concludunt formatum, quod formæ debet reſpondere. Non ergò diverſa haberi debent Status & Adminiſtratio Reipublicæ, fluit enim hæc à ſtatu,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

ceu Formâ Reipublicæ, tanquam à ſua immediata cauſa. Verùm, formam Reipublicæ non eſſe Statum §. *anteced.* diximus. Imò detur, formam eſſe, ſcilicet accidentalem: at hæc nunquam agit, cum adminiſtratio in actu conſiſtere debet. E. corruit ſuâ ſponte hæc Opinio. Qui diſtinguunt inter Adminiſtrationem Magiſtratuum & Delegatorum, benè quidem adminiſtrationem diſtinguunt, ut non eandem numerô, licet non ſpecie, ſed non ſtatum ab adminiſtratione Delegatorum. Quia hi omnia nomine ſuperioris adminiſtrant, & quod quis per alium facit, per ſeipſum facere putandus. Delegatorum & Magiſtratuum Adminiſtratio in Republica ſtabit ſub uno Genere, & formabitur Quæſtio, utrum Status Reipublicæ talis ſit adminiſtratio? Quæſtio hæc tres alias ſub ſe comprehendere videtur: an ſtatus adminiſtret Rempublicam? an adminiſtretur à Republica? an ſit actus adminiſtrandi Rempublicam? Primæ Quæſtioni obſtat, quod ſtatus non cauſa efficiens, non enim Perſona eſt Imperans, E. nec tribui poteſt effectus: Mediæ, quod ipſa Reſpublica non adminiſtret, ſed adminiſtretur: nunquam enim patiens, quà tale, eſt Agens; niſi vox Reipublicæ pro Perſonis Rempublicam gubernantibus accipiatur. Neque ideò verum, Gubernator enim

non

non adminiſtrat Statum : non enim circa Hunc occupatur, ſed circa Rempublicam, ut proprium & adæquatum objectum ejus ſecundum Rerum Statum : quomodo hic quidem etiam Objectum erit, ſed formale, ſive Modus conſiderandi : ut illa, ſcilicet Reſpublica Materiale, ſive Res conſiderata: Optimè. Hæc Explicatio Huic, quod non ſit Actus, obſtabit ultimò. Aliud enim Modus, aliud eſt Actus. Cum autem Actus duplex: exercitum intelligo, qui æquipollet Modo conſiderandi, non ſignatum. Ex adductis facilis Deciſio, Statum Reipublicæ non hujus eſſe adminiſtrationem, niſi diſtinxeris inter adminiſtrationem Reipublicæ nudè conſideratam, & qualitatibus certis affectam. Habes igitur, Status quomodo à Republica, quomodo à Forma Reipublicæ, quomodo ab Adminiſtratione Reipublicæ differat, & differre debeat.

§. 5. Poſt monſtratos Errores, in hôc Labyrintho filum pono, & ſic Statum meum definio : *Status eſt Qualitas Perſonarum & Rerum civilium, urgentibus cauſis, Reipublicæ, à Magiſtratu, certâ Ratione, ob ſalutem publicam accommodata.*

§. 6. Definitio præſens ſi examinanda, ſuum habet Genus, ſuam etiam differentiam.

§. 7. Genus eſt Qualitas. Induit quippe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

Rempublicam Status hiſce talibus, monetque quod noſcenda vulgi Natura, & quibus modis temperanter haberi poſſit, *Tacit. l.* 4. *Ann. c.* 33. Et *d. l.* 4. *c.* 6. dicit: Congruens crediderim recenſere cæteras quoq; Reipublicæ partes, quibus modis ad eam diem habitæ. Vide ſtatum ipſum, & conclude ejus Genus Qualitatem. Quin & ſi per Modum ſivè Formam, non Reipublicæ, talem enim nequaquam eſſe, antecedentia probârunt, ſed Rempublicam adminiſtrandi definiveris, non errabis, cum ad unum hæc omnia referenda Prædicamentum. Imò & hic Status vocatur Habitus, *l.* 1. *hiſt. c.* 4. *Tacito*, at Habitus eſt Qualitas. E. Neque aliô modô, quàm qualis ſtatus ſit hic Rigæ vel Lipſiæ, vel in Germania aut Suecia, quærimus?

§. 8. Differentia Cauſas complectitur, Subjectum, Objectum in ſequentibus capitibus curatiùs memoranda & explicanda: hic breviùs.

§. 9. Cauſæ ſunt externæ & internæ. Illæ Efficiens, cui annexæ cauſæ impellentes, poſt Efficientem nominandæ, quas in Definitione Urgentes diximus, & habemus *Cap.* VI. & Finis: hæ Forma & Materia circa quam, ſivè Objectum.

§. 10. Efficientem dedimus Magiſtratum. DEUM autem non excludimus, quem

quem conſiderabimus etiam piô animô, *Cap.* IV. §. 2. Seneca in Thyeſte ſatis piè:

Vos, quibus Rector Maris atque Terræ
Ius dedit magnum Necis atque vitæ,
Ponite inflatos tumidoſque vultus.

Magiſtratus eſt, ᾧ ἀποδέδοται βουλώσασθαί τε περὶ τινῶν, καὶ κρῖναι, καὶ ἐπιτάξαι, καὶ μάλιστα τοῦτο: cui data eſt de quibuſdam deliberandi, judicandi, & maximè imperandi poteſtas; 4. *pol.* 15. Cum hanc poteſtatem habet, quî non formare poterit ſtatum, qui in illis Rebus poteſtati ejus commiſſis conſiſtit. Sunt enim Principes & Reges Tutores Statûs publici, *ſec. Senec. lib.* 1. *de Clem. c.* 3. Facilius eſt errare Naturam, quàm ſi diſſimilem Menti formare Magiſtratus poſſit Rempublicam, *Caßiod. lib.* 3. *epiſt.* x.

§. 11. Finis additur poſt Efficientem, qui Salus Publica. Aurea Ciceronis verba, ſemper magni æſtimanda *l.* 5. *de Republ.* Ut Gubernatori curſus ſecundus, Medico Salus, Imperatori Victoria: Sic Moderatori Reipublicæ beata Civium vita propoſita eſt, ut ea opibus firma, copiis locuples, gloriâ ampla, Virtute honeſta ſit. Hactenus cauſæ externæ.

§. 12. Internas inter Cauſas eſt forma Statûs, quæ Ratio. Verè dicam: Anima Civitatis Reſpublica: Reipublicæ Anima Status: Statûs autem Anima Ratio. Im-

menſa multitudo, huc enim Ego Senecæ Verba *lib.* 1. *de Clem. c.* 31. voco, hujus Animâ circumdanda, hujus Spiritu regenda, hujus Ratione flectenda: preſſura ſe ac fractura viribus ſuis, niſi conſiliô ſuſtineatur: Imò, ex *cap.* 3. cum Eodem loquor, illa eſt Vinculum, per quod Reſpublica cohæret, illa Spiritus vitalis, quem hæc tot millia trahunt, nihil ipſa per ſe futura, niſi onus & præda, ſi mens illa Imperii ſubtrahatur.

§. 13. Reliquum nobis ſubjectum & objectum: Illud eſt Reſpublica Magiſtrâ Definitione. Non enim in Civitate materialiter conſiderata eſt, non in Muris, non in Domibus, ſed in ordine Imperantium & Obedientium, in Republica. Nec Reſpublica Statûs, ſed Status Reipublicæ dicitur Hiſtoricis & Politicis, *cap. anteced.* §. *ult.* quod & hujus. *cap.* §. 2. evicimus. Hoc, Objectum, ſivè Materia circa quam ſunt Perſonæ & Res civiles, non quatenus purè tales, ſed quatenus illæ juſtâ & æquâ Ratione regendæ; hæ eôdem modô adminiſtrandæ. Inde accedunt etiam Actiones civiles. Nuda Perſonarum & Rerum civilium conſideratio Objectum cenſetur Materiale: altera determinata, formale. Perſonas autem, ſivè eæ imperantes ſunt, ſivè obedientes, ſic enim has *cap.* VIII. dividemus, & Res in Statu eſſe, docet *Tacitus lib.* 4. *Annal.*

Annal. c. 32. *ib.* mœſtæ Urbis Res,& Princeps proferendi Imperii incurioſus erat. Et hæc pro Explicatione Definitionis.

CAPUT III.

De Diviſione STATUS.

NOTÆ.

1. *Status ad modum Reipublicæ dividendus.*
2. *Reſpublica quomodo dividatur?*
3. *Status quotuplex?*
4. *Status ſimplex quid? & Quotuplex?*
5. *Status Monarchicus : quomodo obtinendus : num* 1 Sam. 8. *deſcriptus? num apud* Tacit. lib.6. Annal. c.1. *vel* l.5.Hiſt.c.9?
6. *Status Ariſtocraticus.*
7. *Status Politicus : quænam Popularia?*
8. *Status miſtus an detur? Quotuplex? quæ Regulæ circa hunc ſervandæ?*
9. *Status corruptus : an verus Status? quotuplex?*

§. I. VT in Definitione, ſic in Diviſione nullam video Pharum, nullam lampada : audeo proprium Martem, & ſtatuo Statum ad modum Reipublicæ dividendum. Etenim cum reſpectum ille ad Species Rerumpublicarum habere ſolet, non video, quî meliùs dividi poſſit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

§ 2. Reſpublica autem vel ſimplex eſt vel miſta : Illa vel bona ſivè recta, τὸ κοινῇ συμφέρον σκοποῦσαι, 3. *pol.*6. eſtque triplex, docente Ariſtotele 3. *pol.* 5. *Senec. ep.* 14. & Tacitô *l.*4. *Annal. c.* 33. ut Monarchia, Ariſtocratia, Politia : Vel corrupta, τὸ σφέτερον μόνον τῶν ἀρχόντων συμφέρον σκοποῦσαι, *d. l.* 3. *pol. c.* 6. qualis φθορὰ & παρέκβασις vocatur, 8. *Ethic. c.* 12. 3. *polit.* 6. & 7. & 4. *pol.* 2. & in Tyrannidem, Oligarchiam, & Democratiam diſtinguitur. Miſta eſt Reſpublica, ἐν ᾗ πλείονες ἑνὸς τὸ Κύριον κεχωρισμένως ἔχουσι.

§. 3. Status Reipublicæ ita etiam vel ſimplex erit, vel miſtus : uterque vel bonus, vel corruptus.

§. 4. Simplex vel Monarchicus eſt, vel Ariſtocraticus, vel Democraticus, ſivè rectiùs, Politicus.

§. 5. Status Monarchicus eſt Qualitas Regiminis Monarchici à Rege applicata ad Monarchiæ ſalutem. Dum autem Statûs Monarchici finem pono Monarchiæ ſalutem, non excludo Bonum publicum : hoc enim in illâ contineri, quis non videt? Quod verò Statum Monarchicum cernit, in hôc Vis Principatus non reſolvenda, cuncta ad Senatum vocando, cum ea Conditio ſit imperandi, ut non alitèr Ratio conſtet, quàm ſi uni reddatur, inquit ſatis civiliter

apud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

apud *Tacit. l.* 1. *Ann. c.* 6. Salluſtius Criſpus; ſimulque ex ſuô uſu. Et unum hic Reipublicæ corpus, atque unius animo regendum, benè monet Gallus apud *Eund. ibid.* Differunt autem Monarchia & Status Monarchicus, quantum Reſpublica & Status. Monarchia eſt Reſpublica, ubi unus imperat: Status Monarchicus autem, ubi Imperans actiones ſuas, pro qualitate Perſonarum & Rerum ad Monarchiæ ſalutem applicat, hoc eſt, ut ſolus ipſe regnet. Quod facit, ſi paulatim, hoc eſt, vel vi nonnunquam, vel precibus, vel clam, inſurgens munia Senatûs, Magiſtratuum legum in ſe trahit, quos ſibi fidos credit, opibus & honoribus extollit, ſubſidia Dominationi quærit, ſe & Domum ſuam ante omnia, pacemque ſuſtentat, populum annonâ & dulcedine ocii pellicit, ferociſſimos per Acies aut proſcriptione tollit, & quæ ſunt alia arcana, qualia obſervata in Auguſto Monarcha ſcribit *l.* 1. *Ann. c.* 2. & 3. Tacitus, ut & in Claudio *l.* XI. *Ann. c.* 5. & Muciano *l.* 4. *hiſt. c.* 11. videre licet. Præcipuum autem eſſe creditur, ut Militem donis devinciat, vel aliis modis, nullique alii militiam ſibi præreptam concedat. Hoc etenim obſervans Tiberius, aliàs ſenſa regiminis condere apprimè doctus violenter increpat Junium Gallionem, de Militiâ diſponentem, dicens:

dicens: Quid illi cum Militibus? quos neque dicta Imperatoris, neque præmia, niſi ab Imperatore accipere par eſſet, *Tac. l.* VI. *Ann. c.* 3. Claudii præcepta Meherdati data ap. eundem *l.* XII. *Ann. c.* XI. Monarchiæ etiam Statum concernunt: Satis enim politè dicit: Non Dominationem & Senes, ſed Rectorem & cives cogita: Clementiamque & Juſtitiam, quantò ignara Barbaris; tantò tolerantiora capeſſe. Accipe hic fundandum Monarchiæ Statum inter Barbaros: de quibus omnibus plura *cap. ult.* dicturus. Adde Ariſtot. certè etiam accuratè informantem. *l.* 5. *polit. c.* XI. ubi plurima pro Statu Monarchicô: atque in eô δεῖ αὐτὸν διακεῖσθαι κατὰ τὸ ἦθος, ἤτοι καλῶς πρὸς ἀρετὴν, ἢ ἡμίχρηστον ὄντα· καὶ μὴ πονηρὸν, ἀλλ᾽ ἡμιπονηρόν. Non ergò adeò rejiciendus eſt Status Monarchicus, 1 *Sam.* 8. *v.* 11. deſcriptus: modò ea omnia Rex non temerariâ cupiditate, ſed communi Reipublicæ utilitate, & ſuadente neceſſitate vindicet, prout ſentit Tholoſanus 3. *de Rep. c.* 2. §. 9. & *l.* 9. *c.* 1. §. 7. Tantum etiam abeſt, ut hic locus Samuelis contrarius, *Deuter. c.* 17. *verſ.* 16. & *ſeqq.* ut potius inſpectô genuinô textuum ſenſu optimè poſſint ambo conciliari. Planè autem rejicio morem Regium Tiberii, à Tacito deſcriptum, *l.* VI. *Ann. c.* 1. niſi hic abuſivè intelli-

telli-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

telligendus, quod plerumque de factô ex more Regum, Reges ſic facere ſoleant. Neque approbo Antonii Felicis Imperium, qui per omnem ſævitiam & libidinem, benè ſimilis Tiberii, Jus Regium, ſervili Ingeniô exercuit: *Id. l.* 5. *Hiſtor. c.*9.

§. 6. Status Ariſtocraticus eſt Qualitas Imperii, quod, pro Natura Ariſtocratiæ Optimates inſtituunt ad Ariſtocratiæ, & Populi ſalutem. Status igitur hic vel intuitu Optimatium, vel Populi formandus. Optimates omnes ſimul & indiviſim regere debent: neque alitèr conſtare poteſt Ratio Status Ariſtocratici: aliàs, ſi majorum aliquis præ cæteris habuerit autoritatem vel potentiam, parabit viam ad Monarchiam, docente Ariſtotele 5.*pol.*7. De reliquô Cicero optimè diſſerit orat. pro P. Sextio: Optimates ii habentur, qui ita ſe gerunt, ut ſua Conſilia optimo cuique probentur: ſunt enim hi Principes Conſilii publici, ſunt maximorum Ordinum Homines, quibus patet Curia, negocia gerentes, integri, ſani, benè de rebus domeſticis conſtituti, qui *Voluntati*, *Commodis*, *Opinioni* (habes Statum) in Gubernanda Republica ſerviunt: Propoſitumque his Reipublicæ Gubernatoribus, quod intueri, & quò curſum ſuum dirigere debent, quod eſt præſtantiſſimum maximeque optabile omnibus ſanis & bo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

nis & beatis, cum Dignitate, (quæ ex Virtute 4. *pol.* 8.) Ocium. (Collige ſic etiam Populi ſalutem, in definitione noſtra Statûs Ariſtocratici poſitam.) Hujus autem Dignitatis fundamenta, hæc Membra, quæ tuenda Principibus, & vel Capitis periculo defendenda; Religiones, Auſpicia, Poteſtates Magiſtratuum, Senatûs Autoritas, Leges, Mos Majorum, Judicia, Juriſdictio, Fides, Provinciæ, Socii, Imperii Laus, Res Militaris, Ærarium: Enitendum itaque omni Scientiâ & Diligentiâ, ut conſervatis his, quæ Ego paulò ante fundamenta ac membra eſſe dixi, tenere curſum poſſint, & capere ocii illum portum & Dignitatis. Hactenus Romanorum orator, de Statu Optimatium. Caveat autem ſibi plebs nè opinione ſui elata parem ſe Virtute reliquis cum Partheniorum Gente æſtimet. Mutat hoc Statum Ariſtocraticum, nedum Ariſtocratiam ipſam, contra quam militare hanc Plebis præconceptam opinionem *l.* 5. *pol.* *c.* VII. concludit Stagirita, qui *c. ſeq.* VIII. multa proponit, quæ ſtatui huic poteris accommodare.

§. 7. Status Politicus eſt Qualitas Imperii, Politiæ à Populo applicata ob Libertatem & publicam tranquillitatem. Ἀριστοκρατίας γὰρ ὅρος ἀρέτη, ὀλιγαρχίας, ὁ πλοῦτος, δήμου δ' ἐλευθερία, 4. *pol.* VIII. Populum autem

autem dum nomino, Pauperes ſimul & divites intelligo. Eſt enim Politia *μίξις τῆς ὀλιγαρχίας*, (ubi divites imperant) *καὶ δημοκρατίας*, (ubi pauperes,) 4. *pol.* 8. Quomodo aliàs Populus & Plebs differat, docet. §. Lex eſt. 4. *Inſt. de Iur. nat. Gent. & civil.* Omnes igitur hic conjunctim & indiviſim admitti debent ad Magiſtratûs. Sed ſucceſſivè, ut remaneant Parentes. Hoc enim Populare. Item; ne omnia in unô reponantur, ut cenſet Catulus apud *Vellej. Paterc. l.* 2. *c.* 32. quod refutat Cicero orat. pro L. Manil. ſed ex Pompeii & ſuô, non Politiæ Romanæ commodo. Itidem præceptum hoc Populare. Popularia enim ſolus Status Politicus conſiderat. Ideò Leges à Prudentioribus ſancitæ, & Populi autoritate firmatæ imperare debent: *ὅπου γὰρ μὴ νόμοι ἄρχουσι, οὐκ ἔστι Πολιτεία· δεῖ γὰρ τὸν μὲν νόμον ἄρχειν πάντων, τῶν δὲ καθ' ἕκαστα τὰς ἀρχὰς καὶ τὴν Πολιτείαν κρίνειν.* Sic enim omnes Jus æquale numerô obtinent. Sed quodnam illud Jus? Num hoc, quod iis juſtum videtur, quorum major domi res & patrimonium? At ſic introducetur Tyrannis: poteſt enim aliquis omnibus eſſe ditior. Num hoc, quod ii approbant, qui minori licet re, majori tamen ſunt in civitate Numerô: at ſic à Plebe divitibus periculum imminebit. Jus igitur illud æquale in Politia, quod pluri-

pluribus placet. Plures verò ſunt Pauperes & Divites miſti, vel cum ex utroque ordine pares deliguntur numerô, ut, quod vel utriſque vel pluribus videtur, id ratum: ſi diſſentiunt, ut illi vincant, qui numero & cenſu potiores: vel ſi Concio in duas partes ſcinditur, ut aut ſorte, aut ratione ſimili diſcernatur, prout Ariſtoteles hunc nodum ſolvit, VI. *pol.* 3. Præterea popularia ſunt ſorte creare Magiſtratum: ex cenſu nullo eſſe Magiſtratum, aut quàm minimo: eidem bis nunquam mandare Magiſtratum, exceptis bellicis muneribus, ſed ſummâ urgente neceſſitate: Magiſtratum non eſſe diuturnum; Concionem omnium eſſe Dominam; quæque alia collegit Philoſophus VI. *pol.* 2. & Cicero *d. orat. pro P. Sextio.* Hæc omnia pertinere ad Qualitatem ſivè Statum Imperii Politici, Sole meridiano clarius, Politia cum ſuo Populo, cum ſuo fine, libertate & Salute publicâ contenta: Modum ſivè Formam gubernandi ſeipſam non habet, non computat, quam Status ejus ſuppeditat, ut illa benè valeat, ut floreat.

§. 8. Circa miſtum Statum æquè moveri poteſt Quæſtio, ac circa Rempublicam, num detur? Non dari miſtam Rempublicam, credunt nonnulli, quia Majeſtas individua, quia contraria non miſcentur: at

Monar-

Monarchia & Democratia contraria : quia miſtio, ut Accidens, non mutare poteſt Rerum publicarum Eſſentias : quia ex miſtione trium Rerumpublicarum fit Popularis. E. At Majeſtatem formalitèr conſideratam individuam eſſe concedo, non materialitèr, Nec Monarchia & Democratia contraria, ſed diverſæ ſpecies ; Miſtionem non mutare, benè tamen miſcere poſſe rerum Eſſentias in aprice : neque ea hic Accidens Prædicabile, de quo Canon loquitur, ſed Prædicamentale. Tandem ultimum nullius ponderis. Nego, ex miſtione trium Rerumpublicarum ſimplicium fieri popularem. Differunt Formâ. In populari ſumma poteſtas eſt penes omnes indiviſim : in illa autem penes quemlibet pars aliqua Majeſtatis diviſim : E. dari miſtam Rempublicam, dari miſtum Statum firmiter concludi poteſt. Qualis enim Reſpublica, talis Status. Nam, in qua Republica, ſua Regi eſt Ratio & Poteſtas, ſua Optimatibus ſimul, ibi eſt miſtus Status : at in Monarchico-Ariſtocratico Regimine ſua Regi eſt Ratio & Poteſtas, ſua Optimatibus, E. Miſtus autem Status, ſic eum definio, eſt Qualitas Regiminis, miſtæ Reipublicæ conveniens, & eſt ille vel Monarchico-Ariſtocraticus : vel Monarchico-Politicus, vel Monarchico-Ariſtocratico-Politicus : qui quartum miſtum faciunt

Statum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

Statum Rerumpublicarum, plurium ſimplicium, earundem numerô, hoc eſt, plurium Monarchiarum, in una Monarchia, ille ſtatuit duos vel plures æque tales Status in uno, quod abſurdum. Unum enim non poteſt eſſe duo. Et qui ſtatuit Statum Monarchicum miſtum, ille ſtatuit unum miſtum: at omne compoſitum tantum eſt miſtum. Quod ſi regeritur, unitatem hic intelligendam numerô, quæ cum altera miſceri poteſt, Miſtionem non æqualium, ſed diſſimilium eſſe debere replico: tantumque abeſt, ut ſic fuerit miſtio, ut potius inconcinna Rerumpublicarum Confuſio. Neque hic Status, ut reliquæ Species Statuum miſtorum à ſimplicibus formaliter & eſſentialiter differt. Ita Status Monarchico-Ariſtocraticus non eſt Monarchicus, quia penes unum non eſt ſummum Imperium: nec eſt Ariſtocraticus, quia non penes ſolos Optimates. Ita, quando apud Seleucenſes trecenti opibus aut Sapientiâ delecti, ut Senatus, & ſua etiam vis Populo, *ſec. Tacit. l.* VI. *Ann. c.* 42. Status Ariſtocratico-Politicus: non Ariſtocraticus, quia obſtat vis Populi: non Politicus, quia Senatus. In miſto autem Statu probè obſervanda Ratio combinans & conſervans. Rationi combinanti ſummoperè & neceſſariò quærenda eſt Concordia. Tacitus *l.* VI. *Ann. c.* 42. appo-

appoſitè de Seleucenſibus : Trecenti opibus aut Sapientia delecti , ut Senatus : ſua Populo Vis : & quoties Concordes agunt, Parthus ſpernitur : ubi diſſenſère , dum ſibi quiſque contra æmulos ſubſidium vocant, accitus in partem , accerſus omnes valeſcit. Britanni tandem docti in *Agric.c.*29. commune periculum Concordiâ propulſant, & Legationibus & Fœderibus omnium civitatum vires exciunt : anteà enim dum ſinguli pugnârunt, univerſi victi; *Tacit. in Agric. c.* 12. Ratio conſervans intendit, ut præſtantior Status ſemper altero , habeatur majoris Autoritatis. In Republica Monarchico-Ariſtocratica, Monarchia : in Ariſtocratico-Politica, Ariſtocratia. Id enim,quod dignius, ſemper majoris honoris cenſet Natura & Ratio. Demus cum multis, non pro aſſertione, ſed Illuſtratione Mentis noſtræ, Romanum Imperium miſtum, Monarchico-Ariſtocraticum. Aſpice Imperatorem Monarcham, majorem Electoribus, Statibus Imperii. Specta illum , ut ſanctiſſimum Numen majoris Honoris, Venerationis, Dignationis , imò & poteſtatis excellentioris. Et quem ſperabis Statum , ubi minus digna præcellit Reſpublica? Contra Harmoniam Rerum , corruet citiſſimè : atque hæc ad Statum miſtum.

§. 9. Utrumque Statum , Simplicem & Miſtum,

Miſtum, vel bonum eſſe, vel corruptum diximus Statum ſimplicem & miſtum bonum vidimus. Cognitô unô contrariorum, facilè cognoſcetur alterum: Cognitô, qualis bonus Status ſit, qualis malus, facilè etiam cognoſci poteſt, præeunte Tacito *l.* IV. *Hiſtor. c.* XI. Statum Romanæ Reipublicæ poſt cæſum Vitellium deſcribente. Vocatur hic etiam Status corruptus, eſtque verus Status: quemadmodum corrupta Reſpublica, vera Reſpublica: lex iniqua vera lex, bellum injuſtum, verum bellum, ſed ratione Exiſtentiæ, non Eſſentiæ, cum ea falſa & corrupta. Unicum autem hic Status proprium Commodum Imperantis quærit, nullum Subditorum; modis etiam injuſtis. Status autem corruptus eſt vel ſimplex, Tyrannicus, *πρὸς τὸ συμφέρον τοῦ Μοναρχοῦντος*, 3. *pol.* 5. qui deſcriptus legitur 5. *pol.* XI. & in Dionyſio Juniore apud Juſtinum *l.* XXI. *c.* I. *&* 2. Oligarchicus, quem *οἱ τὰς οὐσίας ἔχοντες πρὸς τὸ τῶν εὐπόρων συμφέρον* inſtituunt. *d. cap.* 3. *pol.* 5. *&* 4. *pol.* 8. Democraticus, ubi *οἱ ἐλεύθεροι, καὶ ἄποροι πρὸς τὸ τῶν ἀπόρων συμφέρον ἀποβλέπουσι*. 3. *pol.* 5. *&* 4. *polit.* II. vel Miſtus, Tyrannico-Oligarchicus: Oligarchico-Democraticus, Tyrannico-Oligarchico-Democraticus: quos omnes intelliges, ſi rectos Statûs intellexeris. Adde 3. *pol.* VI. *&* VII. *&* 4.

pol.

pol. IV. V. VI. & 5. *pol.* V. VI. VII. & cumprimis 6. *polit.* I. & *ſeqq.* ubi multa invenies, Statui huic & ſimplici & miſto accommoda: benè percepta formabunt Judicium, formabunt Statum, qualemcunque volueris: ita tamen, ut bonum eligere malum verò & corruptum repudiare & è Republica Chriſtianorum exterminare noveris. Species quidem ſingulæ ſingulis Statibus addi debuiſſent, ſed quia hiſtoriarum monumenta illas exhibent, & nimis longum ire per exempla, æqui bonique conſule ea, quæ impræſentiarum dedimus, & ſperare Te jubemus in poſterum Meliora.

CAPUT IV.

De Efficiente STATUS.

NOTÆ.

1. *Continuatio dicendorum.*
2. *Efficiens Status,* DEUS.
3. *Num formet Statum bonum & malum?*
4. *Altera cauſa Efficiens, ſed minus principalis, Magiſtratus.*
5. *Num Status cum Republica eſſe cœpit?*
6. *Populus num cauſa Efficiens Statûs?*
7. *Vtrum Poteſtas immediatè à Deo, vel mediante Populô?*
8. *Adducitur jus divinum.*

9. *Ius*

9. *Ius Naturale.*
10. *Inter homines num Iure naturali fundata ſuperioritas? & quam ob cauſam?*
11. *Ius Gentium?*
12. *Ius civile publicum.*
13. *Sapientum Sententiæ.*
14. *Immediatè Poteſtas à Deo; & quomodo?*
15. *Quid Populi Conſenſus præſtet?*
16. *Quid Fortuna?*

§. 1. Conſideravimus Diviſionem Statûs, quantum è re noſtra. Efficientes veniunt, & ſuccedunt, quæ Statum conſtituunt: & ſunt DEUS & Magiſtratus.

§. 2. DEUS eſt principalis Autor & fundator Statûs. Hic largitur Spiritum Sapientiæ, ut Imperantes intelligant, quomodo Rempublicam gubernare debeant, quomodo poſſint. Promittit ſupremum illud Numen, Spiritum Sapientiæ ſeptuaginta Viris de Senioribus Iſraël, quos Magiſtros Populi eligere debuit ejus Cancellarius Moſes, *Num.* XI. *v.* 16. Per me, inquit *Proverb.* 8. *v.* 15. Principes regnant, & Legum Conditores juſta decernunt. Hic Salomoni Sapientiam Populum regnandi & diſcernendi inter bonum & malum, petenti dedit illam, 1 *Reg.* 11. *v.* 9. Benè piè Imperator DEUM, Statûs ſui Autorem reveretur, dicens: Per

ipſum,

ipſum, DEUM intellige, Africam defendere, & ſub Imperium noſtrum redigere nobis conceſſum eſt. Per ipſum quoque, ut noſtrô moderamine rectè gubernetur, & firmè cuſtodiatur, confidimus. Unde per ejus Gratiam etiam civilium Adminiſtrationum Judices & officia, ſingulis Africanis Provinciis conſtituimus, attribuentes quidem Emolumentum, quoad unuſquiſque percipere debeat. Ad ejus igitur Providentiam etiamnum animum noſtrum referentes, & armatas militias & Duces Militum ordinare diſponimus, *l. 2. pr. ff. de offic. Præf. Præt.* Idem Ethnici Ethnicum in morem fecêrunt, Jovem, Optimum Maximum Statorem & Autorem Reipublicæ credentes. Jupiter Capitoline, & Autor & Stator Romani Nominis protege hunc Statum, precatur *Vellej. Paterc. lib. 2. c. ult.* Romulus apud *Liv. lib.* 1. Templum Statori Jovi, quod monimentum ſit Poſteris, vovet. Et *Tacit. lib.* XV. *Ann. c.* 41. has ædes Statoris Jovis, vota Romulo Numæque regia, exuſtas memorat. Cicero & Jovi Statori & reliquis Diis Statum ſacrat, *orat. pro Cn. Rabirio.* Quare ab Jove Opt. Max. cæteriſque Diis, Deabuſque immortalibus, quorum ope & auxiliô multò magis hæc Reſpublica, quàm Ratione Hominum & Conſiliô gubernatur, pacem & veniam peto. Hel-

vidius

vidius Priſcus in fundatione novi Capitolii *ap. Tacit. l. 4. hiſt. c. 53.* Jovem, Junonem, Minervam invocat, Præſideſque Imperii Deos. Vide Autorem Imperii, Regum, Statûs, DEUM ſanctum, quem & Ethnici & magis Chriſtiani Imperatores confitentur & reverentur talem. Format autem Statum & bonum & malum: hunc ut malum pœnæ, illum, ut ſignum Gratiæ, format Statum hodiè, non ut immediatus Stator, ſed mediante jam Magiſtratu, cui infundit Prudentiam regnandi, Magiſtratus E. eſt altera cauſa efficiens.

§. 4. Diximus Magiſtratum cauſam efficientem Statûs. Hujus enim proprium munus, intelligere, ſe gerere Perſonam Civitatis debereque ejus Dignitatem & Decus ſuſtinere, ſervare Leges, Jura deſcribere, ea Fidei ſuæ commiſſa meminiſſe, *Cicer. lib. offic. 1. v. 124. & Idem lib. 3. de LL. Magiſtratib.* opus eſt, ſine quorum Prudentia & Diligentia Civitas eſſe non poteſt: quorum deſcriptione omnis Reipublicæ Moderatio continetur: neque iis ſolùm præſcribendus eſt imperandi, ſed etiam civibus obtemperandi Modus: Accedit, quod, Status conſiſtat in Adminiſtratione Reipublicæ: at cui alii, competit hæc, niſi Magiſtratui. Hujus finis Bonum commune, qui per Statum quærendus. Format igi-

gitur pro fine illum, & utibilem communi Utilitati.

§. 5. Errant indè, qui cum Republica Statum ſtatim cæpiſſe opinantur. Prior Reſpublica, poſterior Status. Subjectum prius Adjunctô. Vetuſtiſſimi mortalium, nullâ adhuc malâ libidine, ſine probro, ſcelere, eoque ſine pœna & coërcitionibus agebant, neque præmiis opus erat, cum honeſta ſuopte ingenio peterentur, & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. At poſtquam exui æqualitas, & pro Modeſtia ac Pudore Ambitio & Vis incedebat, provenêre Dominationes, hoc eſt, modi & Qualitates dominandi, *Tacit. lib.* 3. *Ann. c.* 26. Principiò Rerum, Gentium, Nationumque Imperium penes Reges erat, quos ad faſtigium hujus Majeſtatis non ambitio popularis, ſed; ſpectata inter bonos Moderatio provehebat. Populus nullis legibus tenebatur, arbitria Principum pro legibus erant, *Iuſtin. lib.* 1. *Hiſtor. cap.* 1. At Status Reipublicæ, ut in aliis, ita etiam in legibus moderatè ferendis conſiſtit, ut dicèmus infra. Imò, quod rei jam exiſtenti demum ſupervenit, id non ſtatim cum eo eſſe incipit, quod verum in Statu. Adjunctum eſt neceſſarium Reipublicæ, non ejus Eſſentia, quæ cum illa incipit. Forma Reipublicæ, Ordo: Materia circa quam Imperantes

rantes & Obedientes. Poteſt eſſe nudus ordo, poſſunt eſſe nudi Imperantes, nudi Obedientes, & tamen Reſpublica, qualem in Statu Innocentiæ crediderim inter Homines: ubi Ordo Qualitatibus certis contectus, ubi Imperantes, ubi Obedientes qualificati, ibi Status.

§. 6. Magiſtratui igitur meritò Statum Reipublicæ formandum adſcribo: ſed cur non Populo? Videtur enim hic potius præſcribere modum Imperandi, & ſic Statum Regentibus. Potior enim hic Imperante: quippe qui ab illo, & propter illum conſtituitur, & Magiſtratus tantum ἀνθρωπίνη κτίσις, *ſec. Petrum 1 Epiſt. c. 2. v. 14.* Cicero *orat. de L. Agrar.* contra Rullum dicit: omnes poteſtates, Imperia, Curationes, ab univerſo Populo Romano proficiſci convenit. Occiſo Pſeudo-Smerde, cum Proceres omnes Virtute & Nobilitate pares, difficilem ex his Populo electionem fecit, referente Juſtino *lib. 1. cap.* x.

§. 7. Recurrit hic Quæſtio in primo Dubio, utrum Poteſtas Imperantis immediatè à Deo veniat, vel mediante Populi Conſenſu per Electionem vel Succeſſionem confeatur? Diſputat cum Populo Gallico in Comitiis congregato Gramond, qui *lib. 1. Hiſtor.* hanc immediatam Poteſtatem Regi ſuo ſoli tribuit. Nos in genere conſiderabimus

bimus Jus Divinum, Jus Naturale, Jus Gentium, Jus Civile, & Sapientiorum Effata, quid judicent: quid Ratio decernat.

§. 8. Jus Divinum immediatam Magiſtratus Conſtitutionem agnoſcere videtur. *Num.* XI. *v.* 16. DEUS Moſi dicit: Congrega mihi ſéptuaginta Viros de Senibus Iſraël, quos tu nôſti, quod Senes ſint Populi & Magiſtri, & auferam de Spiritu tuo, tradamque eis. *Deut.* 16. *v.* 18. Judices & Magiſtros conſtitues, quos Dominus, DEUS tuus dederit. Per me Principes regnant. *Prov.* 8. *v.* 15. DEUS deponit Reges & inſtituat, *Daniel.* 2. *v.* 21. Ita cenſet ipſe Chriſtus, *Ioh.* 19. *v.* 11. Gentium Doctor, *Rom.* 13. *v.* 1. Adonia, 1 *Reg.* 2. *v.* 16. Regina Æthiòpica, 3 Reg. 10. *v.* 9.

§. 9. In Jure Naturali quærenda Superioritas: quâ datâ videtur ipſam Naturam conſtituiſſe Magiſtratum unà cum ſuo ſuperiore. Romanorum Orator *lib.* 2. *de Natur.* Deor. præclarè ita: Natura eſt, quæ continet omnem Mundum, eumque tuetur, & ea quidem non ſine ſenſu & Ratione. Omnem autem Naturam eſſe neceſſe eſt, quæ non ſolitaria ſit, neque ſimplex, ſed cum aliquo conjuncta atque connexa habere in ſe aliquem Principatum, ut in Homine Mentem, in Belua quiddam ſimile Mentis, unde oriatur Rerum Appetitus. In

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

Arborum etiam & earum Rerum, quæ gignuntur è terra, Radicibus, ineſſe Principatus putatur, qui optimus, omniumque Rerum poteſtate & Dominatu digniſſimus. In omni igitur Re Superioritas fundata, ſi ipſi Ciceroni credimus. Imò ipſa Rerum Domina eſt Natura, quæ ei ſemper confert Imperium in aliud; ei, quod dignius, quod nobilius, quomodo & ſuperius. *Senec. l.* 1. *de Clem. c.* 19. Natura commenta eſt Regem, quod & ex animalibus licet cognoſcere, & ex Apibus, quarum Regibus ampliſſimum cubile eſt. Sic Leo Rex Quadrupedum, Aquila Rex Avium: Sic Serpentibus ſui Reges, & Gallus Gallinarum Ductor.

§. 10. In Homine magis Canonem naturalem adductum valere certiſſimum. Ob præſtantiam enim & nobilitatem Virtutum alter alteri Naturâ imperat. Τὸ δυνάμενον τῇ διανοίᾳ προορᾷν ἄρχον φύσει καὶ δεσπόζον φύσει· τὸ δὲ δυνάμενον τῷ σώματι ταῦτα ποιεῖν, ἀρχόμενον καὶ φύσει δοῦλον, ut loquitur Ariſtoteles 1. *pol. cap.* 1. Inter Homines pro ſummo optimus, & is potentior, qui Melior. Primi enim mortalium, quique ex his geniti, Naturam incorrupti ſequebantur, eandem habebant & Ducem, & Legem, commiſſi Melioris arbitrio, *ſec. Senec. ep.* 90. Patienda Meliorum Imperia, Avitus dicit ad Friſios *ap. Tacit. lib.* XIII. *Annal. cap.* 56.

Cice-

Cicero rurſus *lib.* 1. *Officior.* ita: Quanquam omnis Virtus nos ad ſe allicit, facitque ut eos diligamus, in quibus ea ineſſe videtur: tamen Juſtitia & Liberalitas maximè efficit. Magna illa Communitas eſt, quæ perficitur ex beneficiis ultrò citroque datis, quæ mutua & grata dum ſunt, inter quos ea ſunt, firmâ devinciuntur Societate. Omnium autem Societatum nulla gratior, quàm ea, quæ cum Republica unicuique noſtrûm. Ut quiſque magnitudine animi maximè excellit, ita maximè vult primus omnium eſſe, vel ſolus potius, Plato in Lachete & *Cic. lib.* 1. *Offic. v.*72. Iis, qui habent à Natura adjumenta rerum gerendarum, abjectâ omni cunctatione adipiſcendi Magiſtratûs ſunt, & gerenda Reſpubl ca eſt, nec enim alitèr aut regi civitas, aut declarari animi Magnitudo poteſt: & apertiùs *lib.*2. *Offic. v.*41. Mihi quidem, non apud Medos ſolum, ut ait Herodotus, ſed etiam apud Majores noſtros ſervandæ Juſtitiæ cauſa olim benè morati, Reges conſtituti. Nam cum premeretur initiô, multitudo ab iis, qui majores opes habebant, ad unum aliquem confugiebant, *Virtute* præſtantem, qui cum prohiberet Injuria tenuiores, æquitate conſtituenda ſummos cum infirmis pari jure retinebat. Atque inde venit Heroum Monarchia. Ita *Juſtin. lib.* 1. *hiſt.* 1.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

cap. 1. ſpectatam inter Bonos Moderationem adducit. Et meritô: cum Naturâ glorioſa eſt Virtus, & priores anteire cupit, *Senec.* 3. *de benefic. c.* 35. Satis ex hiſce colliges, & benè concludes, Naturam Meliori deferre Imperium. Jam quod à Naturâ, hoc à Deo: illa enim ſubordinata Cauſa, quæ cum ſua Principali vix bellum movebit.

§. XI. Jus Gentium dabit cauſas conſtituentes, Imperantes. Quidam dicunt, Populos Neceſſitate compulſos coiiſſe, quidam ob admirationem Ignis, quod Scythæ allegant apud *Iuſtin. c.* 2. *lib.* 2. quidam ob commodum benè vivendi: quidam ob ſolam naturalem inclinationem: quidam ob vim Potentiorum, quomodo deinde in unum coacti cœtum, Regem vel Superiorem elegerint ipſi. Non vera Magiſtratûs Origo, quæ ſola in ſeipſa conſtitit, & immediatè cœpit dominari Populo, ſine ejus conſenſu. Ita enim ſcitiſſimè Cicero, *orat. pro Publ. Sextio.* Ita Naturam Rerum tuliſſe, ut quôdam tempore Homines nondum neque naturali, neque civili Jure deſcripto, fuſi per agros & diſperſi vagarentur, tantumque haberent, quantum Manu ac Viribus per cædem ac Vulnera, aut eripere, aut retinere potuiſſent. Qui igitur Virtute & Conſilio præſtanti extiterunt, ii per-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

perſpectô genere humanæ docilitatis atque Ingenii, diſſipatos unum in locum congregarunt, eoſque ex feritate illa ad Juſtitiam atque Manſuetudinem traduxerunt: tùm res communem utilitatem continentes, quas publicas appellamus, tùm domicilia conjuncta, quæ Urbes dicimus, tùm conventicula Hominum, quæ poſteà Civitates nominatæ ſunt, inventa, & divinô & humanô Jure ſeplerunt.

§. 12. Jus civile publicum & privatum conſentit. Adhuc hodiè utuntur Magnates hiſce Verbis: Von GOttes Gnaden/ Frideric. III. in der Reform. zu Franckf. Ann. 1442. Maximilianus in der Reform. der Freyſchöpyen/vnd das Heimliche Gericht zu Weſtphalen/ zu Wormbs/ Ann. 1495. pr. Sintemal von GOttes Gnaden/vnverdinſter Sachen. Friedrich von Hohenſtanden/ Dux Sueviæ, apud Cruſ. part. 2. Annal. lib. 7. c. 1. Friedrich von Verhängnis Göttlicher Mildigkeit/ Hertzog zu Schwaben. Der Kayſer hat ſeine Gewalt/ ohne mittel von GOtt; Goldaſt. tom. 2. Reichſatz. Juſtinianus fatetur *l. ult. C. de quadr. præſcript.* ſe nutu divinô Imperiales ſuſcepiſſe Inſulas, per J. Chriſtum jura Imperii *l. 2. C. de offic. Præf. Præt. Afric. & Nov. 6. pr.* Imperium à cœleſti Majeſtate traditum, *l. 1. C. de vet.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

Iur. enucl. quod confirmat Jus Canon. c. Conſtantinus. *diſt.* 96. *c. quæſitum.* 24. q. 4. *c. quoniam. c.* cum in Scripturis. *diſt.* x. *c.* duo ſunt. *c. Imperator. diſt.* 96. *c.* cum ad verum. *eod. c. legimus. diſt.* 63.

§. 13. Quod Sapientum Effata cernit: τιμὴ δ᾽ ἐκ Διός ἐστιν, Homerus canit. Fatô poteſtates dari, cenſet Titus Imperator apud *Aurel. in Tit.* Omnis Deorum immortalium Poteſtas tranſlata eſt ad Magiſtratus, aut certè cum illis communicata: *Cicer. pr. pro L. Muræn. Senec. ep.* 90. credit, penes Deos Imperium eſſe. Ad règni poteſtatem Majeſtate Numinis Reges impelluntur, quod de Sandracoto *Iuſtin. dicit lib.* xv. *c.* 4. Galba apud *Tacit. lib.* 1. *histor. c.* 15. dicit, ſe Deorum hominumque conſenſu ad Imperium vocatum. Veſpaſianus dicitur *l.* 4. *hiſt. c.* 81. divino Miniſterio electus Princeps; ubi plura legere potes de inclinatione Numinum. Ægyptii νομίζοντες, ἅμα οὐκ ἄνευ δαιμονίου τινὸς προνοίας αὐτοὺς τετυχέναι τῆς τῶν ὅλων ἐξουσίας, *Diodor. Sicul. lib.* 1. *de Ægypt.* Satis operosè in hac Quæſtione *H. Grot. l.* 1. *de Iure Bell. & Pac. c.* 3. §. 8. ſudat, & jam Salmaſius contra Anglum, qui legendi.

§. 14. Immediata E. Magiſtratûs Poteſtas, à Populo, vel ejus Conſenſu non dependens. Prior enim Rex tali modô, Po-

pulô.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

pulô. Prius autem aliquid dicitur, vel Naturâ, vel Dignitate, vel Ordine, vel Tempore Magiſtratum priorem Dignitate & Ordine eſſe Populô, nullus dubitabit: quod enim præſtantius, illud dignius: Naturâ etiam priorem aſſerimus, quia Natura prius intendit, quod perfectius: atqui Imperans perfectior obediente, qualem §. 9. & 10. dedimus. Num Imperans prior Populô ſit tempore, quæritur. Formari ita poteſt Quæſtio: an, antequam Populus, vel civilis Societas fuit, Imperans extiterit? Videntur hæc Relata eſſe, quæ ſimul ſurreperunt. In Republica jam conſtituta verum eſſe, vix quiſquam inficiabitur. In Republica conſtituenda diſquiri poteſt, utrum Imperans vel obediens prior? Imperantem priorem eſſe conſtat ex eo, quod Regens prius eô, quod regendum. Agens prius Patiente. Et id Cicero curatius confirmavit, ſupra, §. x I. Quia prior, inde dignior, inde ſuperior Magiſtratûs, nedum Rex ſubditis Meritò E. ex hoc fundamento Imperatorem Imperio majorem æſtimamus, quicquid dicit *Carpz. c. 1. ſect. x. Comm. ad L. Reg.* meritò Regem ſuperiorem Populô: cum & ille in ipſa Relatione prior & dignior. Quantò Pater Filiô, Dominus Servô excellentior, tantò Rex Regnô. Nefas Filio, nefas Servo. Patrem, etiam impium, Dominum, etiam im-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

pium, trucidare, nedum Populo. Pater enim, etſi impius, tamen Pater eſt: Dominus, etſi atrox in Servos, tamen Dominus. Ità Rex, ità Magiſtratus, etſi injuſtus, tamen Rex, tamen Magiſtratus. Prior E. ſic Rex & Magiſtratus & in Republica conſtituta, quia Agens; & conſtituendâ, cum prior Magiſtratus, ceu dignior Perſona, obediente, ut viliori.

§. 15. Sed Populi Conſenſu eligitur, & per Populi tacitam approbationem vel Electionem ſuccedit. E. Populus univerſus major Electô. Eligens enim majus Electô, Conſtituens Conſtitutô. Præcipuum hoc contra Majeſtatem Regum & Magiſtratuum. Nego Univerſalitatem. Ubi enim manent Regna jure belli, jure Donationis, jure Dotis, jure Teſtamenti, ad quæ Populus nullum confert conſenſum, occupata? Eligeris, ut tale, & dum actu eligit, non tàm majus, quàm potius Electô. Qui eligit Imperantem, ille major eſt Eô. Falſum. Servus eligit ſibi Dominum, E. major. Errant, qui Populum Cauſam Efficientem Magiſtratûs ſtatuunt, cum ſit Inſtrumentum. Hallucinatur Propoſitio: Deus & Populus conſtituunt Regem. Non æqua Poteſtas. Abſit. Deus ut immediatus Autor per Populum eligentem, ceu Organon conſtituit, ubi Populus eligit. Organon dirigitur, &

nullum

nullum per ſe producit effectum ita populus dirigitur à Deo: per ſe enim non aptus ad Regem conſtituendum. Qui E. Rege major? Poteſtas E. immediatè à Deo. Reliqua dubia verè talia, quæ cum demonſtrat Grotius, eum lege: dabit ponderoſas Reſolutiones: nos, nè ſimus prolixiores, revocat noſter Scopus, qui de Statu ſcripturit. Ex hiſce tantum concludimus, Populum, ut obedientem, ſecus in Politia ut Imperantem, tunc enim eſt Magiſtratus, non eſſe cauſam Efficientem Status, ſed ſolum Magiſtratum.

§. 16. Videtur Fortunæ hic etiam eſſe officium. Omnes ſpe, Famâ, Veneratione potius deſtinabantur Imperio, quàm quem futurum Principem Fortuna in occulto tenebat, inquit *Tacit. l.* 3. *Ann.c.* 18. Ita occultâ lege Fati, & oſtentis & reſponſis deſtinatum Veſpaſiano Liberiſque ejus Imperium poſt Fortunam credidit Idem, *lib.* 1. *hiſt. c* x. Poſt Galbam Fortunam initia Cauſaſque Imperio ſequentium ſtruxiſſe, commemorat Idem *l.* 2. *hiſt. c.* 1. Verùm inſtabilis Dea. Quemadmodum Urbium, Imperiorumque: ita Gentium nunc floret Fortuna, nunc ſeneſcit, nunc interit, ut inquit *Vellej. Patric. l.* 2. *Hiſt.* quod teſtatur Mater Neronis apud *Tacit. l.* 14. *Ann. c.* 11. quam publicâ Fortunâ extinctam ſcribit Nero Tyrannus. Teſtatur Militia Pæti, *l.* 15. *Ann.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

c. 13. cui Fortuna contra data. Inde optimam Fortunam credit orandam Cribulo, *d. l.* 15. *Ann. c.* 17. quam affore conſiliis Othonis putant Titianus & Proculus *l.* 2. *Hiſt. c.* 33. ut proinde etiam omnia proſpera ad eam referat Noſter *l.* 14. *Ann. c.* 38. ſed ut Ethnicus. Nos pro Fortuna meliori & ſanctiori modô divinam in cœlis Pronæam colimus & veneramur. Hæc enim eſt, quæ præſidet mundo, quæ univerſa vi ſuâ temperat, quæ humani generis tutelam gerit, curioſa ſingulorum. Habeant igitur Ethnici cæcam hanc Deam; nos nequaquam Fortunam, ut cauſam Imperii vel Statûs agnoſcimus. Deus enim eſt, qui quantum cuique reſtet, primâ naſcentium Imperiorum horâ diſpoſuit.

CAPUT V.

De Fine STATUS.

1. *Finis Status, Salus publica.*
2. *Probatur.*
3. *Errores quinam circa Finem Status.*
4. *Finis Status num Religio?*
5. *Num Fama?*
6. *Num Potentia?*
7. *Num Pax?*
8. *Num Libertas?*

§. 1. Poſt

§. 1. POſt Efficientem Finis ſpectandus, quem in Definitione attigimus, Is autem eſt Salus publica.

§. 2. Bellè Cicero *Epiſt.* 1. ad Quintum Fratrem: Eſt autem non modò Ejus, qui ſociis & Civibus, ſed etiam ejus, qui ſervis, qui mutis pecudibus præſit, eorum quibus præſit, Commodis utilitatique ſervire. Et idem, 1. *offic.* c. x. Omninò, qui Reipublicæ præſunt, duo Platonis Præcepta teneant, ut, quicquid agant, ad eam referant, obliti commodorum ſuorum: alterum, ut totum Corpus Reipublicæ curent, nè, dum partem aliquam tuentur, reliquas deſerant. Ut enim Tutela, ſic Procuratio Reipublicæ, ad Utilitatem eorum, qui commiſſi ſunt, non ad eorum, quibus commiſſa eſt, gerenda eſt. Et Salus Populi ſuprema lex eſt. Naturale enim, nedum civile, ut eorum ſalutem intendam, qui me ſuſpiciunt, pro me laborant, à me tutelam & vitam petunt, quam obſequio ſibi, ceu Liberi, Parentum *GaZas* *l. nec ei.* 17. §. *præterea.* 13. *ff. de adopt.* parare videntur. Malè inde apud *Tacit. l.* xiv. *Ann.* c. 38. Julius Claſſicianus, Suetonio diſcors audit, quod bonum publicum privatis ſimultatibus impediat: contrà laude dignus *l.* xv. *Ann.* c. 20. Thraſea, occaſione temarariæ loquelæ Claudium Timarchum Cretâ depellens, illamque ad Bonum

publicum vertens : erat enim prævalidus provincialium, & opibus nimiis ad injurias Minorum elatus. Benè etiam Patres Romani Salienum Clementem adhortantur, nè publicis malis ad occaſionem privati odii abuti videntur, *d. l.* 15. *Ann. c.* 73. cujus tamen immemor fuit Irelus *l.* 1. *hiſt. c.* 33. quem privati odii pertinacia in publicum exitium ſtimulavit; cum tamen fas privata odia publicis Utilitatibus remittere *l.* 1. *Ann. c.* x. Obliviſcendum enim eſt Injuriarum, ubi Ratio Salutis publicæ intervenit: ibi enim Unius, hic multorum verſatur commodum.

§. 3. Errare igitur creduntur, qui vel Religionem, vel Famam, vel Potentiam per bellum acquirendam, vel ſolam Pacem, vel Libertatem pro Fine Statûs habent.

§. 4. Rerumpublicarum Fundamentum Religionem eſſe, fatentur omnes. Neque de Diis immortalibus, ut loquitur Cicero *l.* 1. *de Natur. Deor.* opinio ficta eſt ab Hominibus ſapientibus Reipublicæ cauſa, ut quos non Ratio, Religio ad officium cogeret, ſed verè debet præſidere Mentes Regentium & Obedientium. Non tamen Finis, ut concludunt multi. Intelligimus autem hic Religionem Chriſtianam, non naturalem: illam, ut Verbô Dei, hanc ut ex naturali Theoſophia patefactam. Sine Chriſtianâ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

nâ Religione floruerunt multa Imperia : non tamen ſine ulla. Nulla ènim Gens tàm immanis & barbara, quæ non aliquam de Diis habuerit cognitionem. Sed non ideò Finis Reipublicæ. Religio non eſt ipſe Finis, ſed id per quod acquiritur finis, ſi ea obſervatur, nec planè negligitur. Si Religio finis, omnes actus propter eam inſtituendi, nulli propter Principem, neque ulli etiam propter Subditos; qui cum contra ipſam Rempublicam, qui non etiam contra ipſius finem? Diverſa ſunt Salus Subditorum æterna & temporalis, hanc ſpectat per ſe Reſpublica, vel Status ejus : illam in Republica Religio. Quia tamen hâc omnes movemur, omnes etiam hâc Rectrice vivere debemus.

§. 5. Quibus Fama pro fine Status eſt, Tiberium aſpiciunt Politicum. Ita enim ille apud *Tacit. l.* IV. *Ann. c.* 40. Sejanes Cæteris mortalibus in eo ſtare conſilia, quid ſibi conducere putent : Principum diverſam eſſe ſortem, quibus præcipua rerum ad Famam dirigenda. Precatur ille *dict. loc.* ut, quandocunque conceſſerit, cum laude, & bonis recordationibus facta atque Famam nominis ſui proſequantur homines. Cætera enim Principibus ſtatim adſunt, unum inſatiabilitèr parandum, proſperam ſui memoriam. Nam contemtu Famæ con-

tem-

temnuntur Virtutes. Non hæc ſummis Mortalium ſpernenda, quæ & à Diis æſtimatur; *l.* 15. *Ann. c.*2. Principes multa debent etiam Famæ dare, cenſet Seneca *l.* 1. *de Clem. c.*xv. Et Regnantis Facultas ditior, cum acquirit theſauros Famæ, neglectâ Utilitate Pecuniæ, *Caſsiod. lib.* 1. *epiſt.* 3. At finis Status non in Salute privata, ſed communi Subditorum, in Bono Publico. Non E. finis Status Fama, ſed conſequens illius finis; quemadmodum apud morales Philoſophos ſummi Boni Conſequens Conſcientia bona, Dignitas, Honos: Vel ſi Finis, ſecundarius nominabitur.

§. 6. Multis Imperantibus pro Fine Potentia habetur. Cæſar apud *Sueton. in ejus Vit. c.* 30. exiſtimat, omne Jus violandum eſſe regnandi gratiâ, in aliis rebus Pietatem colendam. Ita Lepidus apud *Saluſt. l.* 1. *hiſt. c.* 29. omnia retinendæ Dominationis honeſta dicit. Et ſunt apud Hiſtoricos, qui Religionem, qui fidem, qui Virtutem exuêrunt, ubi Potentia acquirenda, vel acquiſita commodò retinenda. Quid Auguſtus, quid Tiberius, quid Claudius & Nero fecerint, Potentiæ Ergò, demonſtrat Tacitus. Uſque adeò libido dominandi cunctis affectibus vehementior, *ſec. Tacit. l.* 15. *Annal. c.* 53. Inde otho omnia facit ſervilitèr pro Dominatione, *lib.* 1. *hiſtor. c.* 36. Phareiſmani cupido

pido regni Fratre & Filio potior. *lib.* XII. *Ann. c.*47. Nihil abnuit Macro, dum Dominationis apiſcitur, *l.*VI. *Annal. cap.* 45. Agrippina nihil domi impudicum, niſi dominationi expediret. *l.*XII. *Ann. c.*7. cunctis malæ dominationis cupidinibus flagrans, *l.* 13. *Ann. c.* 2. quæ puellaribus annis ſtuprum cum Lepido, ſpe Dominationis admiſit, *l.* 14. *Ann. c.* 2. Decus, pudorem, corpus, cuncta regnô viliora habens, *l.* 12. *Ann. c.*65. Cleofis apud *Iuſtin. l.*XII. *hiſt.* propter Regnum fit Scortum Alexandri M. Philippus Rex Macedoniæ, velut è ſpecula quadam, Libertati omnium Græcarum Civitatum inſidiatur, dum contentiones alit, auxilium Inferioribus ferendo, Victores pariter victoſque ſubire regiam ſervitutem coëgit, *Iuſtin. lib.* 8. *c.* 1. apud quem ſua illius pro Potentia ſuſcepta conſilia, & bella & machinamenta *d. l.* IIX. *&* *lib.* IX. pluribus deſcribuntur. Præprimis ità inhiant alienæ Ditioni qui potentiores bellô & Viribus. Vix Juſtitiam cauſæ penſitant, rumpunt Leges, rumpunt æquum & bonum. Quando Ambitio & Vis inceſſit, provenêre Dominationes, *Tacit. lib.* 3. *Ann. cap.* 26. Galli reſpondent Romanis: ſe in armis Jus ferre, & omnia eſſe fortium virorum, apud *Liv. l.* 5. Tiridates apud *Tacit. l.* 15. *Annal. cap.* 1. dicit: In ſumma Fortuna id æquius, quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

quod validius : ſua retinere privatæ domûs, de alienis certare, laus Regia. Tencterorum Legatus apud Concilium Agrippinenſium fatur : ut lucem diemque omnibus Hominibus : ita omnes terras fortibus Viris Natura dedit, *l.4. hiſtor. c.64.* Dii Fortioribus adſunt, ceu judicat Civilis. *d. l. 4. hiſt. c. 17.* Bajozetes Turca Legatis Sigiſmundi Imperatoris pro Jure Armamentarium exhibet, *Piccart. dec. 17. Obſ.8.* Lyſandro apud *Plutarch.* μάχαιρα eſt βέλτιστα περὶ γῆς ὅρων διαλέγουσα ; cuidam Coluber æneus eſt Ratio ultima Regum. Athenienſes Medios alloquuntur apud *Thucyd. lib.v.* δυνατὰ οἱ δυνατοὶ πράσσουσι, καὶ οἱ ἀσθενεῖς συγχωροῦσι. Marcus præ ſtrepitu armorum Leges non audit, nec Philippus, nec Alexander M. quem ideò omnium Gentium Latronem Legati Scytharum nominant apud *Curt. lib.6.* ut & *Senec. ep.49. & l. 1. de benef. c. 13.* furore actum aliena devaſtandi : qualem etiam Joſuam dixere Chananæi apud Suidam in Chanaan : ἡμεῖς ἐσμὲν χαναναῖοι, οἷς ἐδίωξεν Ἰησοῦς ὁ λῃστής. At Potentiam regnorum augendam vix diſſuaſerim, auctu enim Imperii adoleſcunt etiam privatæ opes, *Tacit. l.2. Ann. c.33.* ſed ubi fas, ubi Jus impellit : Peccat æquè qui ſua negligit, quàm qui aliena diripit. Potentiam autem pro fine Status non vendito: non enim propter eam conſti-

conſtitutus principalitèr Magiſtratus, ſed propter Subditos, eorumque ſalutem. Si eam per ſe ſpectat, ſatisfactum Statui: per accidens etiam & data occaſione per legitimas & bonas artes Regna & Imperia amplificandi, Potentiam quærere, nec Statui adeò contrarium reor & exiſtimo. Augere ita debent Imperium Imperantes, non minuere: ideoque à Tacito *l. 4. Ann. c. 32.* Tiberius reprehenditur, ceu Princeps proferendi Imperii incurioſus: Proconſules *l. 4. Hiſt. c. 48.* quod ſecuritati magis quàm Potentiæ conſuluerint. Demetrius apud *Juſtin. l. 35. c. 1.* ampliare fines regni & opes augere finitimorum bellis ſtatuit, Mithridates ad regnum accedens ſtatim non deregendô ſed de augendô eô cogitavit; *Id. lib. 37. c. 3.* Atque inde Auguſti etiam vocantur Dynaſtæ mundani.

§. 7. Ultimi tandem Politicorum pro Pace, pro Tranquillitate Imperii dimicant, tanquam pro fine Status. Clamant cum Silio, *lib. XI.*

— —. Pax optima Rerum,
Quas homini noviſſe datum eſt, pax una triumphis
Innumeris potior: pax cuſtodire ſalutem,
Et cives ſervare potens.

Pacis nomen dulce: Res ipſa verò cùm jucunda, tùm ſalutaris, *ſecund. Cicer. orat. Philipp.*

lipp. XIII. Fructus Pacis omnes ſciunt, omnes expetunt: non E. hic Autorum dicta colligo amplius. Certè feſſis bellô pacis amor redire ſolet, *Tacit. lib* 4. *Hiſt. c.* & poſt civilia bella Pacis interfuit omnem poteſtatem ad unum conferre, *l.* 1. *hiſt. c.* 1. quomodo cuncta diſcordiis civilibus feſſa Auguſtus nomine Principis ſub Imperium accepit; *l.* 1. *Ann. c.* 1. Romani toties, laceſſiti Jure Victoriæ Tributum ſolum victis addiderunt, qui Pacem tuerentur, Ceriale dicente apud *Tacit. l.*4. *c.*73. quam ob cauſam ad Britannos tantùm mittit Polycetum Nero, *l.* 14. *Ann. c.*39. Non tamen ſegni ocio honeſtum pacis nomen imponendum, judicante Tacito *l.* 14. *Ann c.* 39. Cæterùm ſi infenſa & infida pax, non Duci, non Militi requiem permittit. *ſec.* P. Oſtorium, *l.* XII. *Ann. c.*31. ſi miſera, vel bellô benè mutatur, *l.* 3. *Ann. c.*44. Prætereà in pace ſuſpecta tutius bellum credunt profugi Urbi è Vitellianis, apud *Tacit. l.*4. *hiſt. c.*49. Et ſecundum Ciceronem, *orat. Philipp.* XII. Pax repudianda, ſi ſub nomine Pacis bellum latet, ſi turpis, ſi periculoſa, ſi eſſe non poteſt, qualem rejicit idem ille orator *orat. Philipp.* 7. Ita Nero conſuluit inter Primores Civitatis, bellum anceps, an Pax inhoneſta placeret, nec dubitatum de Bello, *l.* XV. *Ann. c.*25. præſertim ſi Gen-

tes

tes præferoces hoſtes, quæ ad pacem tardiùs inclinant, *l.* XIV. *Ann. c.* 38. Vides igitur, num Pax Finis Statûs: hoc eſt, num propter pacem, qualem, qualem, Magiſtratus tantum conſtitutus. In bello Pacem: in Pace bellum volvere debet, & utrumque facere, nè quid Salus publica detrimenti capiat. Propter Pacem Magiſtratus facere debet potiſſima, ſed non omnia. Finis E. Statûs non univerſalis & ſupremus; ſed particularis, & è Re Subditorum modò primarius, modô ſecundarius. Hoc dico: Pax melior bellô. Vologeſes apud *Tacit. l.* XV. *Ann. c.* 2. magis amat æquitatem, quàm Sanguinem: Cauſam quàm arma; ſed tamen bellum movet. Pacem nè turbent Victores Cheruſci, Fortuna elati providet Claudius, *l.* XII. *Ann. c.* 29. ad hanc etiam adhortatur Vologeſen Corbulo *l.* XIII. *cap.* 9.

§. 8. Extremi Libertatem quærunt. Sed ubi Libertas & Pax côncurrunt, dubium, quæ ponenda. Populum Rom. ſervire fas non eſt, quem Dii immortales omnibus Gentibus imperare voluerunt: aut vincatis oportet, aut quidvis potius faciatis, quàm ſerviatis. Aliæ Nationes ſervitutem pati poſſunt: propria Pop. Rom. eſt Libertas. Collige, quid Cicero pro Pace, quid pro Libertate, *orat. Philipp.* 7. *fin. diſſerat.* Thraces

ces pro Libertate ſe morituros dicunt, apud *Tacit. lib.* 4. *Annal. c.* Et hoc primum videndum eſt, cum omnibus nè Pax eſſe poſſit, an ſit aliquod bellum expiabile, in quô Pactio pacis lex ſit Servitutis. *Cicer. orat. Philipp.* XIII. Haud enim facile Libertas & Domini miſcentur, ut judicat Tencterorum Legatus *l.* 4. *hiſt. c.* 64. apud Tacit. Videtur igitur Libertatem prævalere. At Julius Auſpex è Primoribus Romanorum, Vim Romanam & bona pacis diſſertat. *d. l.* 4. *hiſt. c.* 69. ad quam ibidem Cerialis Treviros & Lingonas hortatur, nè contumaciam cum pernicie, quàm obſequium cum ſecuritate malint. Verùm Libertas potior pace, ubi illa per Bellum obtineri poteſt: ubi pro Libertate pugnans, æqualium virium, pariſque poteſtatis. Aliàs pax magis neceſſaria, licet non ſatis honeſta, ut loquitur Annibal ad Scipionem apud *Liv. lib.* 30. Res autem aliàs periculoſa, Libertas, quam ſi Populus pro Fine Statûs habet, probè videat, nè ea, quæ ad veram Libertatem pertinent, negligat, & Libertatis Defenſoribus nimium confidat. Satis enim prudenter Cerialis, Treviros & Lingonas ad concionem vocatos alloquitur apud *Tacit. l.* 4. *hiſt. c.* 73. Cæterum Libertas & ſpecioſa nomina prætexuntur, nec quiſque alienum Servitium & Dominationem ſibi concupivit,

vit, ut non eadem iſta Vacabula uſurparet. Ut Imperium evertant, libertatem præferunt: ſi perverterint; Libertatem ipſam aggrediuntur, judicat Politicus Romanus, *l.*XVI. *Annal. c.* 22. Pro exemplo adducit *l.* 4. *hiſt. c.* 25. Germanorum civitates, quæ adverſus Romanos armatæ ſpe Libertatis: &, ſi exuiſſent ſervitium, cupidine imperitandi: Imò *d. l.* 4 *hiſt. c.* 55. prorumpunt, nempè coalitâ libertate diſpecturas Gallias, quem Virium ſuarum terminum velint. Uſque adeò multum latet ſub Schemate Libertatis: quantò enim majore libertatis imagine omnia teguntur, tantò eruptura ad infenſius ſervitium: *l.* I. *Annal. c. ult.* Facilè autem videre licet falſum libertatis Vocabulum, ſi obtenditur ab iis, qui privatim degeneres, in publicum exitioſi, nihil ſpei, niſi per diſcordias habent, ut cenſet *Tacit. l.*XI. *Ann. c.* 17. malignitatique falſa ſpecies libertatis ineſt. Poteſt igitur etiam Finis eſſe, ſed in Politia potiſſimum, prout pluribus 4. *pol.* VIII. Ariſtoteles deducit: Principalis ſemper Scopus manet Salus Publica.

CA-

CAPUT VI.

De Cauſis Impellentibus Statûs.

NOTÆ.

1. *Continuatio dicendorum.*
2. *Enarratio Cauſſarum impellentium.*
3. *Cauſa impellens, num ſeditioſa Hominum Natura?*
4. *Prima Cauſa Impellens, Dignitas Reipublicæ.*
5. *Quid ſit ea? & in quibus conſiſtat?*
6. *Amor multitudinis quomodo acquiri poſſit?*
7. *Quomodo Fides?*
8. *Quomodo Admiratio?*
9. *Quando, & in quibus rebus dignitatis Ratio habenda.*
10. *Secunda Cauſa, Neceßitas, quæ definitur & dividitur.*
11. *Abſoluta Neceßitas quæ?*
12. *Limitata Neceßitas Quæ? & in quibus rebus?*
13. *Tertia Cauſa eſt Vtilitas: quid ea? & quotuplex? & quibus in rebus ſervanda?*

§. 1. POſt Finem cauſas impellentes ad Statum, ſivè adminiſtrationem Reipublicæ qualificatam placet contemplari; quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

quæ nempè illæ Cauſæ ſint, quæ movent, ut tali vel tali modô Magiſtratus imperet & Populum gubernet: ſivè hæc vel illa in Republica exerceat.

§. 2. Cauſas has ſumunt alii ex ſeditioſa Hominum Natura: alii vel Dignitatem Reipublicæ, vel Neceſſitatem, vel Utilitatem ſtatuunt.

§. 3. Ad Statum impellere ſeditioſam Hominum Naturam, forte an colligi poteſt ex *Tacit. lib. 3. Annal. c. 26.* Vetuſtiſſimi Mortalium, nullâ adhuc mala libidine, ſine probro, ſine ſcelere, eôque ſine pœna & coercitionibus agebant. At poſtquam exui æqualitas, & pro Modeſtia & Pudore Ambitio & Vis incedebat, provenere Dominationes, multoſque apud Populos æternùm manſere. Quidam ſtatim, aut poſtquam Regum pertæſum, leges maluerunt. Ita primus omnium Ninus, Rex Aſſyriorum, veterem & quaſi avitum Gentibus morem nova Imperii cupiditate mutavit, *Iuſtin. lib. 1. hiſt. c. 1.* Seneca *epiſt.* 90. ſcitiſſimè: Primi Mortalium, quique ex his geniti, Naturam incorrupti ſequebantur, eandem habebant & Ducem & Legem commiſſi Melioris Arbitrio. Naturæ enim eſt, potioribus deteriora ſubmittere. Indè inter Homines pro ſummo optimus, & qui melior, is potentior. Sed poſtquam ſurrepentibus

vitiis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

vitiis in Tyrannidem regna verſa ſunt, opus eſſe cœpit Legibus, quas & ipſas inter Initia tulêre Sapientes. Avaratia enim luxuria diſſociavit mortales, & ad rapinam diſcurrêre: inquit Idem & Cicero pro *Sext. cap.* IV. *to.* §. XI. Non indiguit igitur Status humani Generis primus hôc Statu: apud Sapientem enim regnum fuit, qui Paci favit, qui Genus humanum ad Concordiam vocavit, qui beatum Statum quæſivit, *ſec. Senec. d. epiſt.* Mutatis animis Hominum in deterius, Status alius Regiminis vel ab ipſo Imperante cervici impoſitus Subditorum, vel à Populo, ob vitia irrepentia, ob majorem Vitæ & Rerum ſecuritatem: tribus; ob communem ſalutem rogatus. Imò & imponi & rogari debuit. Vix Princeps avitum in morem Populum nequiorem reget; vix Populus priſtinum in modum Principi parebit. Novus E. in Republica mutata formandus Status, hodiernis Imperantium & Obedientium moribus conveniens.

§. 4. Naturam Hominum corruptam monſtrare alium modum Imperandi, ſatis probavimus. Sæpiùs autem Naturam Reipublicæ etiam flectit ad Statum, ejus Dignitas & Autoritas. Legimus propter ſolum eam tot bella à Purpuratis geſta, tot prælia commiſſa, ;tot Artes Politicas pro illa exer-

citas.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

citas. Benè multa Romanus pro hac Dignitate. Quid eſt propoſitum, inquit, Reipublicæ Gubernatoribus, quod intueri, & quò curſum ſuum dirigere debeant? Id quod eſt præclariſſimum, maximeque optabile omnibus ſanis, & beatis, & bonis, cum Dignitate omnium. Hoc qui volunt, omnes Optimates, qui efficiunt, ſummi Viri & Conſervatores Civitatis putantur, *orat. pro P. Sext. & lib.* 1. *Epiſt.* 9. Optatiſſimum eſt, vincere, ſecundum eſt, nullum Caſum pro Dignitate & Libertate, non ferendum putare, *orat. Philipp.* XIII. *fin.* Mihi ante oculos verſatur Reipublicæ Dignitas, quæ me ad ſe rapit: hæc minora relinquere hortatur, *Id. orat. pro P. Sext.* Experiendo magis, quàm diſcendo cognovi, neque ſalutis noſtræ Rationem habendam eſſe ſine Dignitate: neque Dignitatis ſine ſalute: *lib.* 1. *Epiſt.* 7. Tiridaten Primoreſque Vitellius monet, decus quiſque ſuum & fidem retineret, *Tacit. l.* IV. *Ann. c.* 37. Vologeſes Concilium laudat, quod Gloria ejus & Vis in integrô, *l* XV. *Ann. c.* 2. Omnes pro dignitate anxii. Pro hoc decoro Reipublicæ & pro Dignitate hac multum diſputant apud *Tacit lib.* 2. *Ann. c.* 35. Piſo & Gallus, in quæſtione: utrum dignior Status Reipublicæ Senatûs & Equitum, ſi munia, abſente Principe, vel ſi coràm & ſub oculis

D Cæſaris

Cæſaris ſuſtinerentur? Imò, ſi crudelis in ſe, qui Famam negligit, magis is crudelior in Rempublicam, qui ejus Dignitatem & Majeſtatem. Vix autem hæc Dignitas conſervari poterit, niſi per prudens Imperium, quale eſt in Statu. Eam igitur ad hoc incitare Magiſtratum quis non concludet?

§. 5. Eſt autem Dignitas Reipublicæ Exiſtimatio illæſi & ſecundum Virtutes civiles inſtituti Regiminis: & conſiſtit ea in Amore Multitudinis, in Fide, in Admiratione cum quodam Honore.

§. 6. Amor Multitudinis habetur, ſi ipſe amat Rempublicam, *Ariſt.* 5. *pol.* IX. Æque huc refero Senecæ illud *Epiſt.* 9. Ego Tibi monſtrabo Amatorium ſine Medicamentô, ſine Herbâ, ſine ullius veneficæ carmine: Si vis amari, ama. Et clarior paucos inter ſenum Regum Bardanes fuiſſet, ſi judicio Taciti *lib.* XI. *Annal. cap.* X. perinde Amorem inter Populares, quàm Metum apud Hoſtes quæſiviſſet. Getulicus apud Eundem *l.* 6. *Ann. c.* 30. mirum Amorem aſſecutus, quia effuſæ Clementiæ & modicus ſeveritate. Unô verbô, ſit æquabilis in ſuos, cum Artabano, *d. l.* VI. *Ann. c.* 30. Hunc Statum, & per hunc Dignitatem Reſpublica acquirit Beneficiis: Quoad illum, non decet gratum Animum ſollicitudo ſed contra, ſumma fiducia ſui & ex conſcientia

veri

veri Amoris dimiſſa omnis Anxietas, *ſec. Senec.* VI. *de benef. c.* 41. Et Naturæ, Amare benefactorem. Quoad Hanc: magna Communitas eſt, quæ conficitur ex beneficiis ultro citroque datis. Omnium Societatum nulla gravior, nulla charior, quàm ea, quæ cum Republica eſt, *Cic. lib.* 1. *officior. c.* 30. Hanc genere officiorum qui proſequuntur, cum ſumma Utilitate Reipublicæ, magnam ipſi adipiſcentur Gratiam & Gloriam, *Cicer. l.* 2. *Officior. & d. lib.* 2. *à contrar.* Habere quæſtui Rempublicam, non modò turpè eſt, ſed & ſceleratum & nefarium. Inde Tiberius Incendium Romæ ad Gloriam vertit, exolutis domuum & Inſularum preciis, *Tacit. lib.* VI. *Annal. c.* 45. At per Honeſta beneficentia exercenda: Tiberius erogandæ per honeſta pecuniæ cupiens, quam etiam Virtutem diu retinuit, cum cæteras exueret, *lib.* 1. *Annal. c.* 75. Ideò etiam ſatis firmus adverſus Pecuniam laudatur, 3. *Annal. c.* 18. qualis magnifica largitio, ut honeſta, etiam commendatur, 2. *Annal.* 48. ubique dum 4. *Annal.* 20. erga pecuniam alienam diligens deſcribitur. Meritò autem apud Sapientes caſſa benè habentur, quæ neque dari, neque accipi, ſalvâ Republica poſſunt, *lib.* 3. *Histor. c.* 55. Creſcit Amor & Dignitas etiam per Clementiam. Solet dexteritas atque benignitas Morum, in altio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

ri Dignitatis gradu facilè omnium animos ſibi reddere obnoxios, quemadmodum vernô tempore ſplendidi flores prætereuntium oculos in ſe convertunt; *Niceph Gregor. lib.* VI. de Andronicô : τὸν ὁμιλητικὸν τρόπον ἅπαντες ἡδείως ὑπέφερον, *Iſocrat. ad Demonic. Seneca lib.* I. *de Clem. c.* XI. hanc humani Generis incomprehenſibilem Amorem, & ornamentum Imperiorum vocat. Ut ſeveritas aſſiduitate amittit auctoritatem. *d.l.* I. *c.* 22. ita nihil glorioſius Principe impunè læſo, *cap.*XX. Nihil tàm peculiare Imperialis Majeſtatis, quam Humanitas, per quam ſolam Dei ſervatur imitatio, *l. ſi unus.* 27. *C. de donat. inter Vir. & Vxor.* qualem in Italo laudat *Tacit. lib.* XI. *Annal. c.* 16. prout à contrario *Iuſtin. lib.* XII. *Hiſtor.* ſævitiam Alexandri M. taxat. Nihil enim tàm deforme, quam ad ſummum Imperium acerbitatem Naturæ adjungere, *Cicer. l.* I. *epiſt.* I. *ad Quint. Fratr.* Imô & ipsâ Famâ Virtutum, amorem ſurgere & Dignitatem crediderim. Meritò E. grave cenſet Famæ Tiberius, apud *Tacit. l.* 6. *Annal. c.* 26. ubi Corcejus Nerva, proximus Amicorum, nullis moriendi rationibus vitam fugit. Famam enim ejus per hoc multùm imminutum iri benè credit. Nititur enim Salus & Ratio omnium, qui ad Rempublicam accedunt, non Veritate tan-

tùm,

tùm, ſed etiam Famâ, *Cicer. lib.* 1. *epiſt.* 1. *ad Q. Fratr.* quæ ex Virtute ſolâ, qualem præ Templô, Honori ejus ponendo, præoptat Tiberius, *Tacit. lib.* 4. *Annal. cap.* 38. Virtutis, E. etiam Famæ Virtutis & Beneficentiæ Merces eſt Gloria, 8. *Ethic.* 14. Et comes Virtutis Hominum bonorum Amor.

§. 7. Dignitas autem Reipublicæ acquiritur, non modò ſi Amor Hominum, per Beneficentiam, Clementiam, Famam Virtutis obtinetur: ſed & ſi illi fidem adhibent, ſi credunt ita eſſe: Opus igitur hic eſt Prudentia, & ut talem Reipublicæ Moderatores habere exiſtiment, opus Juſtitiâ. Has geminas Virtutes requirit in ſupremo Magiſtratu Philoſophus; 5. *pol.* IX. quas ſine dubio ad Dignitatem ratus pertinere. Prudentia tamen ſine Juſtitiâ nihil valet ad faciendam fidem: quò enim quis verſutior & callidior, hoc inviſior & ſuſpectior, detractâ opinione Probitatis: accuratè *lib.* 2. *Officior.* Connexæ E. ſunt Virtutes, quarum una ſine alterâ eſſe non poteſt. Prudentia autem eſt, quæ Honeſta à Deterioribus, utilia à noxiis diſcernit, *l.* 4. *Annal. Tacit. cap.* 33. nè quid Suis deſit, providens, ſecundum Senecam, *epiſt.* 90. Qui igitur cautis, qui prudentibus magis, atque acribus conſiliis, ut Potentiam, *lib.* XI. *Annal. cap.* 29. ſic Dignitatem ſcit habere, imò quibus

bus modis temperanter poſſit illa obtineri, *Tacit. l. 4. Annal. c. 33.* & obtinet; Fidem ſic Prudentiâ facit Populo, facit Exteris, augetque Dignitatem Reipublicæ ſalutari Mediô, quale in ſola Honeſtate & Juſtitia fundatum requirit Tacitus, *d. l. 4 Annal. c. 38.* Et Cicero *lib. 2. Offic.* Romanos omnia Honeſtatis ſplendore ductos feciſſe, ſcribit, prout pluribus Idem *lib. 5.* de Finibus Bonorum & Malorum deducit, quemadmodum totus Ille-Ipſe in aureo, quem de Officiis ſcripſit, tractatu Naturam Honeſti & Juſti explicat, prudentique Reipublicæ Moderatori, ob Decus & Dignitatem, ob alios fructus Homo πολιτικώτατος commendat, quem Tibi æquè, qui mentem meam vis firmare, atque ille Juſtum & Honeſtum committo.

§. 8. Tandem Admirationem, cùm Honore quodam conjunctam volo, cum *Cicerone lib. 2. Officior.* Si Dignitas Reipublicæ provehenda. Honorem volo, non ſolùm Admirationem. Multa enim admiramur, quæ non honoramus. Miramur ortûs occaſuſque & properantis mundi volubilem curſum, & alia digna miratu, nocturnos Ignium tractûs, & ſine ullo Ictu ſonituque fulgores cœli patiſcentis, columnaſque & Trabes, & varia ſimulacra flammarum: miramur Ambitionem, Luxuriam, Impoten-

tiam,

tiam, *Senec. epiſt.* 93. alia : ſed miramur, non honoremus. Nulla ex hac Admiratione Dignitas, quam nos ei deferimus. Aſt, ubi Virtute, ubi Sapientiâ aliquem præire reliquos videmus, illum admiramur, illum honoramus : & hoc conciliat Dignitatem. Quò E. quis majori potentiâ, eò & majoribus pollere debet Virtutibus, majori Prudentiâ. Ità eum admirabuntur omnes, ita venerabuntur, atque ita creſcet Imperantis Dignitas & Reipublicæ Majeſtas.

§. 9. Dignitas autem ſola vix ſufficiens ſemper ad flectendum Statum. Quid ſi Neceſſitas concurrit? Cujus potior Ratio. Equidem Neceſſaria Glorioſis præponenda, *ſec. Vellej. Paterc. lib.* 2. Et Otho, ut in multa pace munia Imperii obibat, quædam ex Dignitate Reipublicæ, pleraque contra Decus ex præſenti Uſu properando : *Tacit. lib.* 1. *Hiſtor. c.* 77. Dignitatis Ratio habenda, ſed cum Modo; quem deſiderat in Pæto Idem *l.* XV. *Annal. c.* 8. In fortuitis nonnunquam Gloriam cum Tiberio quærere, *l.* 2. *Annal. c.* 48. vel in urbibus condendis, cum Nerone *l.* XV. *Ann. c.* 40. cognomento Regum appellandis, Regum enim in hoc Ambitio, vel Gloria variè vulgata *l.* XII. *Annal. c.* 24. vel in minimis, cum Thraſea, Dignitatis publicæ Studioſo, *l.* XIII. *Annal. c.* 49. vel in decretis non mutandis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

l. 14. *Annal. c.*49. Prudentis habetur. Vix inde Senatus Romanus apud Eundem *l.* 4. *Annal. c.*74. excuſandus, cujus parva cura fuit, an Imperii extrema dehoneſtarentur. Prudenter Corbulo *lib.* 13. *Annal. c.* 34. ratus dignum Magnitudine Populi Romani, parta olim à Lucullo Pompejoque recipere: cum contra malè audiant apud Eundem *lib.*XI. *Annal. c.* 8. Armenii, quod minora ſine curâ habuerint. Ptolemæus apud *Iuſtin. lib.*XV. *Annal. c.* 1. etiam propter Dignitatem, non propter prædam bellum ſuſcipere voluit: & ideò Otho laudatur apud Noſtrum. *lib.* 1. *Hiſtor. c.* 71. quod cuncta ad decorem Imperii compoſuerit.

§. 10. Poſt Dignitatem Neceſſitas addenda. Eſt ea, quæ etiam ſæpè Imperantem movet, ut Reipublicæ Statum alium affingat. Neceſſitatis autem Vocabulum ambiguum: Quandoque Mortem apud Tacitum ſignificat; Nonnanus imminentem Neceſſitatem ſponte prævenit, *l.*XI. *Annal.* Neceſſitas ultima Senecæ indicitur, *lib.* XV. *Annal. c.*61. Pollutia Filia, iratô Nerone, nunciat Patri, Uti Neceſſitate; *d l.*16. *c.*X. Supremas clarorum Virorum Neceſſitates, ipſamque Neceſſitatem fortiter toleratam, *lib.* 1. *Hiſt. c.* 3. Noſter dicit. Quandoque Mentem vel Sapientiam perfectam innuit, cum aliter fieri non poſſit, atque ab ea con-

ſtitu-

ſtitutum, *ſec. Cicer. Academ. Quæſt. lib.* I. Quandoque Rem abſolutè talem & inevitabilem, qualis eſt Fatum, quod quamvis ſignificatum, vitari non poteſt, ut loquitur *Tacit. lib.* I, *Hiſtor. c.* 18. *& l.* 6. *Ann. c.* 22. Hôc locô, cum Neceſſitatem, ut Cauſſam impellentem Statûs pono, intelligo illam, cum cogitur Magiſtratus ad aliquid in Republica faciendum, quod aliàs optimâ Ratione omitteret; eſtque ſic Neceſſitas Vis cogens Magiſtratum ad temperamentum Reipublicæ, h. e. ad Statum. Illa verò in abſolutam & limitatam dividi poteſt.

§. II. Abſoluta Neceſſitas eſt in Re, quæ aliter fieri vel eſſe non poteſt; & huic parendum, *Cicer. lib.* 2. *Offic.* hortatur, quam ne Dii quidem ſuperant, ultimum & maximum Telum, ſecund. Vectium Meſſium apud *Liv. lib.* IX. Et talis conſiſtit in Virtutibus veris Politicis, in Fide, Juſtitiâ, Religione: ut Fides eſt ſervanda: Juſtitia eſt exercenda: Relligio eſt colenda. Imò & habetur in rebus extra Voluntatem noſtram poſitis. Ita, ſivè velit, ſivè nolit, Rheſcuporis, gnarus Neceſſitatis in Urbem trahitur, *Tacit. l.* 2. *Annal. c.* 67. Athenienſes oppreſſi Mithridatis armis, & ab Amicis oppugnati animos extra mœnia, & corpora Neceſſitati ſervientes intra Muros habebant, *Vellej. Paterc. lib.* 2. *c.* 24. Atque hæc, quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

nullô modô mutari poſſunt, comprobanda, præeunte Galbâ apud *Tacit. lib.* 1. *Hiſtor. cap.* 7.

§. 12. Limitata Neceſſitas eſt, quæ in ſe habet Conditionem, ut, ſi velit Rempublicam vel ſubditos beatos & obedientes, imò ſi velit Magiſtratûs ſeipſum benè firmatum, hoc vel illud faciat, & hæc potiſſimùm Statum conſtituere ſolet. Probare id videtur *Tacit. l.* 6. *Annal. c.* x exemplô Piſonis, qui nullius ſervilis Sententiæ ſpontè Autor, & quoties Neceſſitas ingrueret, ſapientèr moderans. Hæc autem vel vera eſt, vel ſimulata. Simulata Neceſſitas eſt, cum facio talem, ubi nulla eſt. Ita Nero Provincias Orientis, maximè Ægyptum, ſecretis Imaginationibus agitans, vel Numine exterrente, vel Facinorum Recordatione, nunquam timore vacuus, fingit Neceſſitatem, dicens: Ergò ut in privatis Neceſſitudinibus proxima pignora prævalent, ita Populum Romanum vim plurimam habere, parendumque retinenti, *Tacit. lib.* xv. *Annal. c.* 36. Senatus apud eundem *lib.* IV. *Hiſtor. c.* 47. Mutuum ſexcenties Seſtertium à Privatis accipit: verâne pauperie, an uti videretur, dubitat Autor, quia multò poſt Neceſſitas abiit, ſivè omiſſa Simulatio. Simulare Neceſſitatem, uti videmus, aliquando licet, cumprimis quia ad ſecuritatem Regni utile:

cum

cum diſſimulare autem Neceſſitatem, inutile, certè hoc prohibitum. Peccavit inde Vitellius, Neceſſitatem diſſimulans abunde ratus, ſi frueretur præſentibus, *Tacit. l. 2. Histor. c.* 95. ut & *lib.* 3. *Histor. c.* 54. Prudentior Tiberius *lib.* 1. *Annal. cap.* 24. qui auditô Militum tumultu, Druſum ſtatim Filium ex Re conſulturum cum primoribus Civitatis mittit: Ipſe Idem quidem *l.* 3. *Annal. c.* 44. ob periculoſa Treverorum, Æduorum, Galliarum, Hiſpaniarum machinamenta, utut optimus quiſque Reipublicæ curâ mœrebat, & reliquus Tiberium increpabat, impenſius in ſecuritatem compoſitus, non quod Neceſſitatem diſſimulare voluit, ſed comperiens, modica eſſe & vulgatis leviora: prout Idem *l.* 4. *Annal.* 74. diſſimulat damna à Friſiis illata Romanis: ſed nè cui bellum permitteret, & quia Friſios non multum Romano Imperio nocituros, cum extrema modò tangerent, credebat. Sic Res externas diſſimulat etiam Nero, *l.* 15. *Annal. c.* 18. ad ſecuritatem annonæ ſuſtentandam. Ita diſſimulare quidem licet Neceſſitatem ratione ſubditorum, ſed non Procerum vel Conſiliariorum: illi enim auditâ hâc moventur, prout videre licet *l.* 3. *Annal. c.* 44. & *l.* 1. *Annal. c.* 47. hi verò Neceſſitati mederi debent: Cæterùm aliquando diſſimulatam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

Neceſſitatem, nè, ſi jam nota, in majus credatur, ultra aſſeverare licet Imperanti, exemplô Galbæ *l.* 1. *Hiſtor. c.* 18. quam, ſi adeſt, nec Conſiliarii tacere, ut Cæcina & Valens *l.* 2. *Hiſtor. c.* 92. ſed præſentes monere debent, cum Hordeoniô Flaccô, *l.* 4. *hiſt. c.* 13. quâ ingruente non omittere licet Caput Rerum, vel Rempublicam in caſum dare, *lib.* 1. *Annal. c.* 46. ſed Moderatione omnia magis, quàm Vi cum Helvidiô Priſco *l.* XII *Annal. cap.* 49. componere. Poſt ſimulatam, ſub qua etiam diſſimulatam comprehendi, Vera videnda Neceſſitas, quæ revera talis eſt, & ſuadet aliquid, quod aliàs non fieret, ſi ſalva eſſe poſſet Reſpublica. Et hæc rurſus eſt vel in Pace, vel in Bello. In pace priorum temporum turbatorum Neceſſitates abrogandæ, ut cenſet Mucianus *l.* 4. *Hiſtor. c.* Quæ Tributa E. poſcente bellô indicta, ea obtentô Pacis Munere, meritò remittenda. At Mucianus Jus aut Verum in Cognitionibus nequaquam, ſed ſolam Magnitudinem opum ſpectans audit Delutiones, & locupletiſſimum quemque in prædas corripit: quæ gravia atque intoleranda, ſed Neceſſitate armorum excuſata etiam in pace manſere *lib.* 2. *Hiſtor. c.* 84. Verùm contra Pacem ex indulgentia Fortunæ vel pravis Magiſtris. Nullâ autem Neceſſitate urgente, contra

leges

leges quicquam non ſtatuendum eſſe, cenſet benè Thraſea *l.* 14. *Annal. c.*48. Intereà ſubjacet Neceſſitati Merces Superioris: Merces ab eo, qui jubere poteſt, Vim Neceſſitatis habet; & Nero ſtipes dedit, quas Boni Neceſſitate, Intemperantes Gloriâ conſumerent: *d. lib.* 14. *Annal. c.* 14 *&* 54. Magiſtratus interdum Conſtitutio: Ex Neceſſitate Dictator creatus dicitur Livio *decad.* 1. *lib.*4. Bonus Succeſſor: Ita Galba apud *Tacit. lib.* 1. *Hiſtor. c.* 16: Eò neceſſitatis jampridem ventum eſt, ut nec mea Senectus plus conferre Populo Romano poſſit, quàm bonum Succeſſorem. Fides quoque & Amor, non quidem Conſcientia liberâ, quomodo ſemper ad abſolutam pertinent Neceſſitatem) ſed Metu & Neceſſitate huc illuc mutatur, quemadmodum Statu Vitelli perturbatô, de Aquitaniâ graviſſimus hic Autor ſcribit *lib. Hiſtor. c.* Otho plurima Jura diſtribuit Subditis: alios Dignitate, alios Largitione aggreditur; nova Jura Cappodociæ, nova Africæ dedit, oſtentui magis quàm manſura: Inter quæ Neceſſitate præſentium Rerum & Inſtantibus curis excuſata, Idem ille Politicus *lib.* 1. *c.* 78.. Ita Largitio; ita Dignitatis Conceſſio, ita alii modi demulcendi Populum novum vel irrequietum, Neceſſitati Regiminis ſubjacent. Nero poſt cæſum Britanni-

cum

cum potiſſimos Amicorum largitione auget ; inde alii Neceſſitatem adhibitam credebant à Principe, ſceleris ſibi conſcio, & veniam ſperante, ſi Largitionibus validiſſimum quemque obſtrinxiſſet, *lib.* 13. *Ann. c.* 18. quod Idem facit trucidatâ Matre, *l.* 14. *Annal. c.* 12. Tyrannus. Præcipuè Neceſſitatem depoſcunt Commoda publica: quemadmodum Populus Rom. Neceſſitate Victus & commodis ſuis, Bruti ſalutem unâ voce depopoſcit: *Cicer. orat. Philipp.* XIV. Hactenus exempla Neceſſitatis pacatæ. In bellô etiam Neceſſitatem ſæpius Dominam eſſe quis non videt? Imò belli tempore Reipublicæ Statum multis Neceſſitatibus eſſe obnoxium, quis non decernit? Non tâm Pacis amore, quàm belli Metu Legationes mittunt pro Pace ad Philippum Macedonem Græciæ Civitates: *Iuſtin. l.* 8. *Hiſtor.* Cauſæ Belli ſæpè neceſſitatem faciunt. J. Cæſar, redditâ Ratione Conſiliorum ſuorum in Senatu & in Concione, ac miſerrimæ Neceſſitudinis, cum alienis armis ad arma compulſus eſſet, Hiſpanias petere decrevit, *Vellej. Paterc. lib.* 2. *c.* 5. Ita Sapientes apud *Tacit. lib.* 1. *Annal. c.* 9. de Auguſtô judicant, ipſum Pietate erga Parentem, & Neceſſitudine Reipublicæ in qua nullis tunc Legibus locus, ad arma civilia actum, quæ neque parari poſſent, neque

haberi

haberi per bonas Artes. Q. Pomponium acerbitate Accuſationis ad Neceſſitatem belli civilis detruſum dicit *Tacit. lib.* 13. *Annal. c.* 43. Imò Neceſſitas poſt belli Cauſas, Donativum Militare imperat: Inde queruntur Milites *l.* 1. *hiſtor. c.* 18. dum Galba Piſonis Adoptionem iis intimat, uſurpatam, in pace etiam, Donativi Neceſſitatem bello ſe perdidiſſe. Commendat Neceſſitas ſæpè Conflictum. Cæcino contractos in Principia Milites Temporis & Neceſſitatis admonet; *lib.* 1. *Annal. c.* 67. Jazyges obſidionis impatientes, & proximos per campos vagi neceſſitudinem pugnæ attulêre, quia Liguis Hermunduniſque illis ingruerant. *l.* XII. *Annal. c.* 30. Ubi major Potentia, Submiſſionem, quemadmodum Vologeſes; *lib* XV. *Annal. c.* 6. neceſſitate Romanorum mitiora obtendit, metu abſtruſô: Pactionem: Ita Mithridates Neceſſitate victus diem locumque fæderi accipit, caſtelloque egreditur, *l.* XI. *Annal. c.* 46. Sed Neceſſitate premente num Vita petenda vel conſervanda? Dirus apud Noſtrum *l. Annal. c.* provectus ſenectâ & longô Uſu Vim atque Clementiam Romanam edoctus, ponenda arma ſuadet: Unum id afflictis Remedium, quem ſequuti, quibus major Vitæ quàm Gloriæ cupido. De obſeſſis Mogontiacis quoad Fidem Idem *l.*

Annal.

Annal. c. Hinc Fides, hinc Egeſtas inter Decus & Flagitium diſtrahebant. Cunctantibus ſolita inſolitaque deerant, abſumtis animalibus, quæ profana fædaque in uſum Neceſſitas vertit, donec tandem egregiam laudem fine turpi macularent, Vitam orantes. E. Vita, E. Fides major Neceſſitate; ſed quibus major Vitæ quàm Gloriæ cupido. Tandem Pax conciſis rebus neceſſaria, quæ ferè Honeſtatem & Dignitatem nonnunquam minus curare ſolet, ut judicat Hannibal in orat. ſuâ pro Pace ad Scipion. apud *Liv. lib.* 30.

§. 13. Quarta tandem Cauſa impellens Status eſt Utilitas. Ob eam hodiè maxima bella, & flexæ maximè conſpiciuntur Reſpublicæ. Utilitas jam Juſti propè Mater & æqui. Ad quam partem omnis Reipublicæ Utilitas Saluſque converterit, eam eligere debemus, dicit *Cicer. orat. pro Cn. Planc.* Q. Caſſius pari magnitudine animi & conſilii præditus, eô ex Italia conſilio profectus, ut prohiberet Syriâ Dolabellam. Quô Jure? quâ Lege? Eâ, quam Juppiter ipſe anxit, ut omnia, quæ Reipublicæ eſſent, legitima & juſta haberentur. Nihil autem hic utile credit, niſi quod Rectum Honeſtumque, quod omnes etiam boni ac fortes Viri putare debent, *lib.* 5. *Epiſt.* 19. Rectum E. honeſtumvè, quod Reipublicæ ſalutare;

ſed bonis modis. Fides integra non manet, ubi magnitudo quæſtuum, (intellige ſolum, & principalitèr ſine reſpectu æqui, boni vel honeſti, ſpectatur, *ſec. Tacit. l.* XI. *Annal. c.*6. Eſt E. Utilitas hôc locò conſiderata Salus Reipublicæ, cogens Magiſtratum ad inſtituendum Regimen pro ea: & eſt ea vel licita, vel illicita. Hæc eſt per fas & nefas quæſita. Artabanus Abdum ſpecie Amicitiæ vocatum ad epulas lentô venenô illicitat. Credit hoc permittere Utilitatem publicam, *l.*6. *Annal. c.*32. quemadmodum & quando Sinnacen Diſſimulatione, Donis & ſimul per Negotia moratur, *d. cap.* 32. ubi ſibi inſidias ſtructas cognoſcit. Huc etiam referri poſſunt ea, quæ *cap. præced.* §.6. de potentiâ dicta. Licita eſt, quæ Terminos honeſtatis non tranſcendit, & æquum ſimul & bonum perpendit. Omnes, qui magnarum Rerum conſilia ſuſcipiunt, æſtimare debent, quod inchoatur, an Reipublicæ Utile, ipſis Glorioſum, aut promtum effectu, aut certè non arduum ſit, ut judicat Mucianus *l.* 2. *Hiſtor. c.*76. & pro Republica Agricola miſcet Utilia Honeſtis. *cap.* 8. Hæc autem Utilitas ſpectanda vel tempore Reipublicæ pacatæ vel per bellum turbatæ. Pacatæ Reipublicæ utilitas eſt, tuta & præſentia, quàm vetera & periculoſa malle, *ſec. Tacit. lib.*1. *Annal. cap.*2. quomodo

modo & Corbulo Tiridaten laudat, quod omiſſis præcipitibus tuta & ſalutaria capeſſat, *l.*xv. *Annal. c.*29. Applicari poſſunt ea pacato Statui, licet dicta ad bellantem Hominem. Idem *lib.* 3. *Annal. c.* 31. plurima per Italiam itinera fraude Mancipum & incuriâ Magiſtratuum interrupta & impervia clamitando, executionem ejus Negocii libens ſuſcepit: quod haut perindè publicè Uſui habitum, quàm exitioſum multis, quorum in pecuniam atque famam damnationibus & haſtâ ſæviebat. Salutare etiam ſatis Reipublicæ, ſi ipſe Princeps offenſionum non pavidus pro Utilitate publica vigilat, *l.* 4. *Annal. c.* 38. Socios ejus cauſa ſuſcipit, velut Idem *lib.* 1. *Annal. c.* 58. de Segeſte dicit, quod Amicos Inimicoſque ex utilitatibus Romanorum delegerit. Quia ex horrida Antiquitate quædam ad præſentem Uſum flectere licet, *l.* 4. *Annal. c.* 16. licet etiam temporibus Reipublicæ poſtulantibus remittere aliquid & mitigare, ſi expedit, *lib.* 3. *Annal. c.* 34. vel ex ſuo Uſu plebem Primoribus committere, ſi Imperator, quod Artabanus facit *lib.* 6. *Ann. c.* 42. & Quadratus *l.*XII. *Annal. c.*48. cui decus publicum parum curæ, ubi plures tuta diſſerunt. Tacitus vile decus publicum clamat, quando tempore Ottonis privata cuique in Familiis Stimulatio, *l.* 1. *Hiſtor. c.*90.

Neque

Neque aliud utilius alteri Imperantium, quàm ſi efficere poteſt, ut in commune non conſulant; quod de Romanis adverſus Gallos ſcribit *Tacit. in Agric. c.* 12. Prior Neceſſitas autem eſt Glorioſô vel amænô: cum parum proviſum Regentibus, Reipublicæ, ubi Amænitati prius quàm Uſui conſulitur, *l.* XIV. *Annal. c.* 31. Prior & Potior Rebus dubiis: Milites Pœti *ap. eund. l.* XV. *Annal. c.* 13. referunt, validam & laudatam Antiquitatem, quoties Fortuna contra daret, Saluti conſuluiſſe. Utilitas autem hæc ſpectat vel Miniſtrorum Electionem: hæc enim pertinet ad utilitatem publicam, *l.* 4. *Hiſtor. c.* 7. vel ædificia: à Nerone ex utilitate publica ædificari cæptum memorat Idem *l.* XV. *Annal. c.* 43. quæ ſimul & decorem novæ Urbi attulit; vel Provincias regendas: Inde Oſtorius *d. l.* XVI. *Annal. c.* 30. objicit Sorano, quod Proconſulatum Aſiæ pro Caritate ſibi potius accommodatum, quàm ex utilitate communi egiſſet: ad quam multis etiam præceptis adhortatur Cicero Quintum Fratrem *lib.* 1. *epiſt.* 1. Reſpicit hæc Utilitas Pœnas. De Nerone dicit Noſter *l.* 13. *Annal. c.* 44. Licet in ſontes & noviſſima exempla meritos animadverteret, tamen miſeratio orta, tanquam non utilitate publica, ſed in ſævitiam unius abſumerentur. Ubi exemplô opus, intendit

dit Utilitas pœnas nonnunquam graviſſimas; quod apud *Tacit. l.* XIV. *Ann. c.* 44. in cæde quadringentorum Servorum, ob Pedonium Secundum, Dominum cæſum, ſuppliciis affectorum videre licet. Benè Caſſius: Habet aliquid iniqui omne magnum exemplum, quod contra ſingulos Utilitate publicâ rependitur. Reſpicit hæc Utilitas prava certamina abolenda, quomodo laudatur Titus apud *Noſtr. l.* 2. *Hiſtor. c.* 5. qui præcipua Concordiæ Fides inter Veſpaſianum & Mucianum prava certamina communi Utilitate aboleverat. Imò obſervat Utilitas Vectigalia. Non E. centeſimam rerum venalium, poſt bella civilia inſtitutam abrogare vult Tiberius, cum militare ærarium, eô ſubſidiô nitatur, *Tacit. lib.* I. *Annal. c.* 78. Utile etiam, fluminum mutare curſus, ſi exundantia nocent. Videtur: at contrarium tenet Politicus noſter *lib.* I. *Annal. c.* 79. Optimè enim rebus Mortalium conſuluit Natura, quæ ſua ora fluminibus, ſuos curſus, utque originem, ita fines dedit. Vides in Pace, quem intendat Utilitas Statum. Nec ea in bello Exul, quæ ad clavum ferè ſemper ſedere ſolet. Utile Fortunæ moderari cum Corbulone, *lib.* XV. *Annal. cap.* 5. Ex rerum uſu decet legiones Sociare partirivè: *d. l.* XV. *c.* 6. Deſtruit hæc munimenta Urbium. Artaxata à Corbulone occu-

pata,

pata, ideo ſolo æquata ſunt, quia ampla; quia ſi in integro & incuſtodita relinquerentur, nulla in eô Utilitas aut Gloria, quod capta eſſent, *l.* XIII. *Annal. c.*41. & quæ alia ſexcenta. Uti Neceſſitas, ſic & interdum Utilitas pacem ſuadet, prout Cerialis *l.*4. *Hiſt. c* 74 & *ap. Liv. lib.* 30. Annibal ſentiunt. Res has omnes Utilitati ſubjecimus: Ipſa verò quid Juris in Reipublicæ Statu habere debeat, docet *Vellej. Paterc. l.* 2. *Hiſtor.* dicens: Intereſt Reipublicæ, quod Uſu neceſſarium, Dignitate eminere: Utilitatemque Auctoritate muniri. Romani enim, quod Uſu optimum, id in tutelam maximam certæ ſecuritatis advocârunt. Atque hæc de Cauſis impellentibus ad Statum dicta ſunt, quæ omnia breviſſimis dedimus lineis, cum ſingula librum poſcere videntur.

CAPUT VII.

De Subjectô STATUS,

NOTÆ.

1. *Continuatio Dicendorum.*
2. *Quid Reſpublica, remiſſivè: & num ea Subjectum Status? Quod probatur.*
3. *CarpZovii Opinio de Statu examinatur & refutatur, cum illum ratione Qualitatis & Quantitatis expendit.*

4. *Ari-*

4. *Ariſtotelis Opinio circa Quale & Quantum Reipublicæ, itidem appoſita examini ſubjicitur.*
5. *Subjectum Reſpublica cum ejus Partibus: quod per* Tacit. lib. 4. Annal. cap. 6. *probatur.*
6. *Status num in rebus judicatis cum Cicerone conſiſtat? Cujus Sententia explicatur.*
7. *Status num in Ara vel Focis? Et quid Ara? quid Focus?*

§. 1. HActenus fuêre Cauſæ impellentes: ſequitur Subjectum, in quô Status, quale damus Rempublicam.

§. 2. Quid ſit Reſpublica diſputant multi. Nos præeuntem veneramur Ariſtotelem. 3. *pol.* 1. & 4. prout ſupra *cap.* 2. §. 2. ejus definitionem adduximus, hic non repetendam: Subjectum autem eſſe, ſimul evicimus. Neque enim Rempublicam, ut Objectum agnoſco, circa quod Status verſari debet. Diverſa ſunt Reſpublica ipſa, formaliter conſiderata, & Res in ipſa Republica contentæ. Subjectum illa, hæ Objectum Statûs. Subjectum eſt Reſpublica, quia in ea eſt Status, circa Res illius adminiſtrandas occupatus: objectum Res, quas Status format, ſecundum Rationem Politicam: de quô capit. ſeq.

§. 3. Magnus Carpzovius *cap.* XIII. *Section.*

*Section.7.n.3. Comment. ad L.Reg.*dicit, Statum Reipublicæ bifariàm conſiderari : vel ex Quantitate, vel ex Qualitate : Illam Magnitudinem Reipublicæ complecti vel externam in Provinciis, vel internam in Juribus; hanc autem in ſumma Imperii eſſe poteſtate, Formam Reipublicæ diſtinguente. Sic igitur Subjecti locum habebit Quantitas & Qualitas Reipublicæ. Nunquam autem in Quanto Status conſiſtit, ſi vocabulum rite & rectè accipimus. Non enim ipſæ Provinciæ faciunt Statum, ſed Provinciarum Adminiſtratio. Imò quis in juribus credet etiam conſiſtere Quantitatem ? Jura enim non ſunt Quanta, ſed Qualia. Qualitatem eſſe in ſumma Imperii poteſtate, Formam Reipublicæ diſtinguente, vix videtur. Qui enim Qualitatem Statûs in ſumma Imperii poteſtate ſtatuit, ille Qualitatem in Qualitate, Accidens in Accidente ſtatuit. At hoc non poteſt per rerum Naturam fieri. Semper enim Qualitates & Accidentia Subjectum requirunt, cui inſint. Nec ſumma Imperii poteſtas Formam Reipublicæ diſtinguit, ſed validiorem efficit. Quæ forma ſit Reipublicæ diximus *cap.* 2. §. 3. Nunquam autem talem, ſummam Imperii poteſtatem diſtinguere, ab altera patet, cum hæc omnibus Rerumpublicarum competit; nec diverſam facit ullam Speciem in hoc Tertio.

Æquè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

Æquè enim ſummam Imperii poteſtatem habet Monarchia, æquè Ariſtocratia, æquè Politia: qui E. Reſpublicas diſtinguere poteſt? Non E. Status in Quantitate Reipublicæ, nec in Qualitate, h. e. ſumma Imperii poteſtate erit, Talis enim poteſtas non eſt in Statu, ſed format & efficit Statum.

§. 4. Ariſtoteles 4. *pol.* XII. aliud Quale & Quantum facit, ſed in Civitate. Quale dicit Divitias, Libertatem, Virtutem: illas Oligarchiæ; iſtam Politiæ, hanc Ariſtocratiæ tribuens: Quantum ipſi eſt multitudinis Præſtantia. Et Reſpublica ſic vel in Quantitate, vel in Qualitate eminere poteſt: ubi E. magis Quantitate quàm Qualitate ſuperatur Plebs, ibi optimus Popularis Status. At neque in hoc Quali vel Quanto conſiſtit Statûs. Eadem Ratio hujus Quanti atque §. antecedentis. Carpzoviani: Quod Quale attinet, Idem *d.l.* 4. *polit. c.*8. dicit, quod Ἀριστοκρατίας ὅρος ἡ ἀρετή· ὀλιγαρχίας πλοῦτος· δήμου δ' ἐλευθερία. Si Finis, non E. Subjectum noſtri Statûs.

§. 5. Remanet E. Subjectum Statûs integra Reſpublica non Ejus Quantitas vel Qualitas. Cum etiam Reſpublica ſuas habeat partes, de quibus Idem ille 4. *pol.* XIV. Idem erit de partibus dicendum, quod de totô. Congruentius crediderim, inquit *Tacit. lib.*4. *Annal. cap.*6. recenſere cæteras

quoque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

quoque Reipublicæ partes, quibus modis ad eam diem habitæ ſunt. Idem etiam de Speciebus Rerumpublicarum: nempè quæ Monarchia ſit ſubjectum Status Monarchici: Ariſtocratia Status Ariſtocratici Subjectum; Politia Subjectum Statûs Politici.

§. 6. Statum Reipublicæ rebus judicatis contineri putat *Cicer. orat pro P. Sylla.* Num E. ſubjectum Status Res judicatæ? Equidem in Rebus judicatis illum etiam querendum, vel ſecundum eas inſtituendum eſſe ex parte non negaverim. Habet enim Res judicata plurimùm roboris in Republica, quæ JCtis, ceu Veritas, ſemper habetur. Si hæc congrua rebus agendis pro Republica, quî non Status in Rebus judicatis ponendus? Cum autem ſæpius Perſonarum tantùm privatarum cauſas habent, & Conſilia Statûs Rebus Politicis, quæ frequentius multum inter ſe diverſæ, aptanda: verum ſaltem Ciceronem exiſtimamus, ubi Caſus idem, & Circumſtantiæ Rerum civilium non aliam depoſcunt Regiminis Rationem.

§. 7. Non eſt in Parietibus Reſpublica, ſed in Aris & Focis ut idem Cicero loquitur, *lib.7. Epiſt.* XI. Et Patriam Themiſtocles apud *Juſtin. l.2. c.*XII. Municipes credit, non mœnia: civitatemque non in ædificiis, ſed civibus poſitam. Status E. in Aris,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

in Focis conſiſtet : imò & inter Cives. Subjecta erunt Ara, Focus, Cives, ſed partialia, quæ omnia in ſe continet integra Reſpublica. Quid Aræ; quid Foci, quid Civium nomine veniat, haut difficile reor. Taceo Deos patrios & Penates, quos Ethnicorum relinquo Societati : Templa, Domos Privatorum, Subditoſque innuunt Cicero & Themiſtocles. Subjicienda hæc omnia Statui. Heu mihi! ſi is in Templis, in Domibus Privatorum, inter Subditos non rectè formatur, quæ non inde proveniunt Pericula, Seditiones, Deſolationes, Devaſtationes, Mutationes. Sunt hæc Subjecta; quatenus Statum recipientia habentur : quatenus circa ea benè ordinanda vel regenda Status occupatur, Objectum, de quô cap. ſeq. Hæc de Subjectô Statûs dicta ſufficiant.

CAPUT VIII.

De Objectô STATUS.

I. *Ratione Perſonarum.*

§. 1. *Objectum duplex : Materiale : Perſonæ, Res, Actiones tales, formale, quatenus pro Ratione Statûs formandæ.*

2. *Cicero qualia habeat Objecta: ut & Ariſtoteles & obtrectatores Pæti.*

3. *Per-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

3. *Perſonarum civilium Diviſio.*
4. *Perſonarum imperantium Diviſio.*
5. *Magiſtratûs quid?*
6. *Diviſio Magiſtratûs.*
7. *In ſe talis quoad Qualitates datur per regulas.*
8. *De Præceptoribus Principum.*
9. *Quoad ætatem Magiſtratus. quid obſervandum?*
10. *De Succeſſore præcepta & Monita.*
11. *De Tyrannô, & quæ actiones Ejus.*
12. *De Senatu axiomata, & regulæ.*
13. *Delegatus Magiſtratus quis? & quæ regulæ de Illô?*
14. *Iudex quis? & quæ de eô regulæ.*
15. *In Iudiciis quæ perſonæ neceſſariæ; ubi earum axiomata.*
16. *Perſonarum Obedientium Diviſio.*
17. *De Peregrinis.*
18. *Indigenarum Diviſio.*
19. *Sacræ Perſonæ quæ?*
20. *Profanarum Perſonarum Diviſio.*
21. *Quæ majoris Dignationis.*
22. *Circa Conſiliarium præcepta, tùm pro Principe, tùm pro ipſo Conſiliario formata.*
23. *Circa Nobiles quæ notanda?*
24. *Circa Hiſtoricos dantur monita.*
25. *Minoris Dignationis ſunt Mathematici, Hiſtriones, Publicani, Fæneratores: Plebs*

univerſa : & quæ circa illos & plebem penſitanda axiomata.

26. *De Fœminis, Reginis illuſtribus, nobilibuſque Vxoribus, & quæ circa has etiam pro Ratione Status Princeps volvere debeat conſilia.*

27. *Perſonæ extra Regnum ſunt Socii, Confœderati; de quibus dantur Monita : ſunt obſides, quorum Natura & finis etiam detur : Quia pro Sociis Legati mittendi, ideò de Legatis aliquid additur ex Noſtro: cætera apud alios quærenda.*

§. 1. POſt Subjectum Statûs Objectum conſiderandum venit, circa quod occupatus Status : Cum duplex aliàs Objectum Logicis dicitur, nempè Materiale & Formale, utrumque hic Locorum admittimus ; Materiale ſunt Perſonæ, Res civiles, quibus addo Actiones tales : Formale, quatenus pro Ratione Statûs formandæ: de illô hoc Caput, de hoc ſequens tractabit.

§. 2. Cicero, orat.pro P. Sectio hæc fundamenta & Membra Reipublicæ credit, quæ tuenda Principibus & vel Capitis periculô defendenda : Religiones, Auſpicia, Poteſtates Magiſtratuum, Senatûs auctoritatem, Leges, Morem Majorum, Judicia, Juriſdictionem, Fidem, Provinciam, Socios, Imperii laudem, Rem Militarem, Ærarium nume-

numerat. Harum Rerum tot atque tantarum eſſe Defenſorem atque Patronum, magni animi eſt, magni Ingenii, magnæque Conſtantiæ. Ariſtoteles 4. *pol* 14. Τὰ κοινὰ cenſet τὸν πόλεμον καὶ εἰρήνην, καὶ συμμαχίαν, καὶ διάλυσιν, καὶ νόμους, καὶ θάνατον, καὶ φυγὴν, καὶ δήμευσιν, καὶ τὰς εὐθύνας. Obtrectatores ad Pœtum Thraſeam *ap. Tacit. lib.* XIII. *Annal. cap.* 49. Cur, ſi Rempublicam egere libertate Senatoriâ crederet, tam levia conſectaretur. Quin de Bellô aut Pace, de Vectigalibus & Legibus, quibuſque aliis Romana continentur, ſuaderet, diſſuaderetvè. Sic Cicero, ſic Ariſtoteles, ſic Obtrectatores Pæti objecta ponunt Statui. Nos Methodum ſervamus noſtram, & dicimus, quod vel circa Perſonas, vel circa Res civiles, vel circa Actiones occupatus Status.

§. 3. Perſonæ hæ vel ſunt in regno Imperantes & Obedientes; vel extra Regnum, Socii & Confœderati.

§. 4. Perſonæ in Regno Imperantes, non quidem æquali modô, ſed quælibet pro ſuo officio, Ariſtoteli IV. *Politic.* XIV. ſunt Magiſtratus, Senatus, Judex.

§. 5. Magiſtratus ἐστὶ μόριον τῆς πολιτείας, ὅσαις ἀποδέδοται βουλεύσασθαί τε περὶ τινῶν, καὶ κρῖναι, καὶ ἐπιτάξαι, καὶ μάλιστα τοῦτο· τὸ γὰρ ἐπιτάττειν ἀρχικώτερόν ἐστι, Idem 4. *pol.* XV. Qui & quot requirantur in Republica Magiſtra-

giſtratûs, qui neceſſarii, qui utiles : an hic ratione Rerum vel Hominum dividendus, docet idem Græcus Politicus. *d. cap.* XV. ad quod ablego Fundatorem Statûs : ex quo quid ſuæ Reipublicæ utibile, haurire poteſt per Judicium politicum. Magiſtratus autem in Monarchia eſt Princeps, in Ariſtocratia ſunt Optimates, in Politia autem Populus. Hôc locô autem conſiderandus Magiſtratus vel ut Princeps, vel ut alteri delegatus : & rurſus ut eſt bonus & legitimus, vel ut malus habetur & illegitimus qualis eſt Tyrannus.

§. 6. Bonus & legitimus iterum eſt vel in ſe talis actu, vel ut ſperatur & habetur Succeſſor.

§. 7. In ſe talis actu hic tantum quoad Qualitates & Ætatem Cognitioni ſubjacet, quoad actiones alibi. Sit igitur Perſona Magiſtratum gerens, ut Princeps, Indigena. Parthi Vononem, cum petitus acceptuſque Româ Rex, ut externum aſpernantur. *l.* 2. *Annal. cap.* 4. Italum Germani etiam faſtidiunt, ut Exploratoris Flavii progeniem, ipſis externam, & Romæ ortam, *l.* XI. *Annal. c.* 16. Verum vix hoc univerſale; quippe Fortuna *ſec. Tacit. lib.* 3. *Annal. cap.* 18. nos rectius DEUS futurum Principem in occultô tenet, inde Exempla etiam externorum Regum inter Hiſtoricos. Sit Princeps

Magi-

Magiſtratûs eximiæ Formæ : quomodo apud Tacit. omnes verè Magnates à ſpeciè formoſa commendantur. Cæſar Ariobarzanem ob inſignem corporis Formam & præclarum animum volentibus Armeniis præfecit, *l.*2. *Ann.* *c.*4. Eximia Germanici ſpecies laudatur *d.* *l.*2. *Annal.c.*41. & 72. Neronis,cui fuit forma Principe viro digna. *l.*4. *Annal.* *c.* 15. Itali formâ decori *l.* XI. *Annal.* *c.*16. Rhadamiſti, decorâ proceritate & corporis inſignis, *l.*XII. *Ann.* *c* 44. Titi *l.*2. *Hiſtor.* *c.* 1. Domitiani, *l.*4. *Hiſtor.* *cap.* 40. Atque ita notanter quoad Formam hanc Principis; Noſter *lib.* 1. *Hiſtor.* *cap.* 7. de Galbâ : Ipſa ætas Galbæ & irriſui & faſtidio erat, aſſuetis Juventæ Neronis; & Imperatores formâ ac decore Corporis, ut & mos Vulgi, comparantibus : Sit boni Ingenii, quantæcunque Fortunæ capacis, quale in Tito laudat Noſter *l.*2. *Hiſtor* *c.* 1. excolendumque ſuadet per Præceptores, & quoad artes Pacis & Belli.

§. 8. Quod Præceptores & Artes Imperatore dignas concernit, nec illos, nec has tacet Tacitus. Soſibius Britannici fuit Educator, *lib.*XI. *Annal.* *c.* 5. Nero Burrhum habuit & Senecam, Imperatoriæ Juventæ Rectores, pari in Societate potentiæ concordes, diverſa arte ex æquo pollentes: Burrhus militaribus curis & ſeveritate Mo-

 rum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

rum: Seneca præceptis Eloquentiæ & Comitate honeſtâ. *lib.* 13. *Ann. c.* 2. quem ob claritudinem ſtudiorum Ejus, utque Domitii Pueritia tali Magiſtrô adoleſceret, & conſiliis ejuſdem ad ſpem dominationis uteretur, Agrippina Mater elegit, *lib.* XI. *Annal. cap.* 8. Inde Princeps informari debet in Inſtitutis Populi, ut Zeno, *lib.* 2. *Annal. cap.* 56. & patrium ad morem, cum Italo *lib.* XI. *Ann. c.* 16. Satis doctrinarum pro Principe, qui certè cum Agricola, ultra quàm conceſſum Imperatori & Magiſtratui, ſtudium Philoſophiæ & Juris haurire non debet, ſed retinere, quod quidem aliàs eſt difficillimum, ex Sapientia Modum: in *Agric. c.* 4. Non E. Ars Chaldæa neceſſaria quam diſcebat Tiberius *l.* 6. *Annal. c.* 20. niſi pro recreando animo: nec cœlare, pingere, cantûs aut regimen Equorum exercere, vel carmina pangere: in quæ, ut in alia puerilibus ſtatim annis vividum animum, non ſine notâ detorſit Nero, *lib.* 13. *Annal. cap.* 3. quod ut fœdum notat Idem *l.* XV. *Annal. c.* 13. & Senecæ ac Burrho diſplicuiſſe. Melius Tiberius, qui Filium Druſum in Illyricum mittit, ut ſueſcat Militiæ, ſtudia paret exercitûs, ſimulque Juvenis, urbanô luxu laſciviens melius in caſtris habeatur, *l.* 2. *Ann. c.* 44. Quomodo educatus Filius Germanici, videre licet *l.* 1. *Ann. cap.* 41.

*cap.*41. quomodo Agricola, *in Agricol c.*2.
in ſede ac Magiſtrâ Studiorum, Maſſiliæ ſtudens parvulus : quomodò Arrybas Athenis *ap. Iuſtin. lib.*17. *hiſt. c.*3. quomodo Alexander M. *ap. Eund. lib.*XII. *c.*7.

§. 9. Quoad Ætatem, cujus §. 7. Mentio facta, conſideratus Princeps, vel Magiſtratus, nè ſit Juvenis. Serviendum Fœminæ, dicit Pop. Rom. apud Noſtr. *l.* 1. *Annal. c.*4. duobuſque inſuper Adoleſcentibus, Tiberio & Agrippæ, qui Rempublicam interdum premant, quandoque diſtrahant. Imò & queritur, quod congeſti Juveni, Tiberio, Conſulatus, Triumphi. Ita Tacitus, quod incallidus alioqui & facilis Juventâ, ſenilibus artibus adhuc regendus, *l.*3. *Ann. c.*8.] prout de Druſo juvene judicat, & Milites rebelles *lib.* 1. *Annal. cap.*26. referunt. Inde monet *l.*4. *Annal. cap.*17. Senatum æquari adoleſcentes ſenectæ ſuæ impatienter indoluit, nè quis mobiles Adoleſcentium animos præmaturis honoribus ad ſuperbiam extolleret : quod tamen Auguſtus, ſed pro Ratione Status ſui facit, dum ſubſidium Dominationi Claudium Marcellum, Sororis Filium admodum Adoleſcentem Pontificatu & curuli ædilitate extulit. Aliàs habentur ut plurimum in Regimine incurioſi, quod de Ptolomæo Jubæ Filio Noſter dicit. *l.* 4. *Ann. c.* 23. imò incauti,

 cauti,

cauti, quod in Nerone pateſcit *l.4. Annal. c.59.* nullius autoritatis, quomodo Hiero pueritiam Tiridatis increpat, *l.6. Ann.c.43.* apud quem etiam ut imbellem, externa, (Romanâ militia) Mollitiâ, inane fuit Imperii Nomen: quorum Modeſtiam ſæpius pro ſuperbia interpretantur alii, ſicut Druſus exemplo haberi poteſt *lib. 3. Annal. c.59.* Cæterum Patrem Imperatorem, Filium in Regimen vocare haud novum: & ubi per Leges vix conceſſum, arte moliuntur, quod facit Tiberius cum Filio Druſo *l.3. Annal. cap. 31. & 56.* Ratioque additur *lib. VI. Annal. c.46.* nè, ſi extra Domum Succeſſor, Memoria, ratione Tiberii, Auguſti, nè Nomen Cæſarum in ludibria & contumelias vertatur: Multis enim Imperantibus non perindè curæ præſentium gratia, quàm in Poſteros Ambitio. Imò hi etiam charitate & ſanguine propiores pro Externô.

§. 10. Succeſſor Principis vel Magiſtratûs cum conſideratur, certè talis eligendus neceſſariò creditus Tiberio *l.3. Annal. c.56.* nè Succeſſor in incerto foret, atque ut ſic pravæ aliorum ſpes coërcerentur. Priusquam autem unus eligitur, multi deſtinantur *lib.2. Hiſtor c.1.* prout quis Amicus vel Cliens, *lib.1. Hiſtor. c.12.* Ea Conditio eſt Succeſſorum futurorum. Quandoque optimum de his ut Imperator ſupremis ſermoni-

monibus tractet, exemplo Auguſti, *lib.* 1. *Annal. cap.* 13. & anxii admodum propter Succeſſores Tiberii, *l.* 6. *Annal. c.* 46. Eligendus autem Major natu, qui prior ætate ſpem principis loci habere debet, *ſec. Sejan. l.* 4. *Annal. c.* 60. ſi liberi adſunt; & imperatoriarum ille Virtutum. Aliàs Succeſſor bonus quærendus, non ſumendus. Galba dicit, ſe bonum eligere, Piſonem intelligens, *lib.* 1. *Hiſtor. c.* 16. nec in Domô, ut Auguſtus, *lib.* 1. *Annal. c.* 13. ſed in Republica, ſuas Neceſſitudines poſthabens, *lib.* 1. *Hiſtor. c.* 15. Talis enim charitate & Reipublicæ curâ ſumendus, ut domeſtici Auguſti judicant, *lib.* 1. *Annal. c.* 10. non ut ſibi gloriam comparatione deterrima quærat, cum eum in Succeſſorem eligit, cujus arrogantiam ſævitiamque ante introſpexit; quod de Auguſtô dicitur *d. l.* 1. *Ann. c.* x. Sapientius Tiberius de Druſo, & ob Druſum loquitur *l.* 3. *Annal c.* 56. in cujus commendatione prolixus; ſcilicet quod per octo annos captô experimentô, compreſſis ſeditionibus, compoſitis bellis, triumphalis & bis Conſul, noti laboris particeps ſumatur. Neque abſurdum, Succeſſorem commendare Reipublicæ, ſi commendatione dignus. Cæterum, ſec. Tacitum, non ſine Periculô Succeſſores. Suſpectus ſemper inviſuſque Dominantibus, qui proximus deſtina-

ſtinatur, ut Otho judicat *lib.* 1. *Hiſt. c.* 21. Sejanus, potentiam quærens, Neronem maximè, Succeſſioni proximum inſectatur, *l.* 4. *Annal. c.* 59. & accuſat, ut pervertat, *lib.* 5. *Annal. c.* 3. Ita ille volutat apud ſe *l.* 4. *Ann. c.* 12. quônam modô Germanici liberos pervertat, quorum non dubia Succeſſio Tandem etiam variis ſubjecti ſunt Judiciis, ut Tacitus habet *lib.* 1. *Annal. cap.* 4. ubi pars multò maxima Romanæ Plebis imminentes Dominos variis rumoribus diſtulit.

§. 12. Tyrannum quod attinet, ipſiuſque Mentem; Certè non fruſtra præſtantiſſimus Sapientiæ firmare ſolitus eſt, ſi recludantur Tyrannorum Mentes, poſſe aſpici laniatûs & ictûs; quando ut corpora verberibus, itâ ſevitiâ, libidine, malis conſultis animus dilaceretur; *l.* VI. *Ann. c.* 6. Modò qui pavore exurgit, Tyrannus conſpicitur, modò Mentis inops, ſuæque incolumitati infenſus. *l.* 14. *Annal. c.* 10. facinorum recordatione nunquam timore vacuus; *l.* 15. *Annal. c.* 36. Plerumque enim ut Actiones tangam Fratres, Propinquos, longius ſitos cædibus exhaurit, quibus adjicit conjuges gravidas, liberos parvos, ſocors domi, ignaviam ſævitia tegens; quæ omnia in Gotarze deprehenſa commemorant Parthi *lib.* XII. *Annal. c.* 10. & videre eſt *l.* XI. *Annal. c.* 8.

Imò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

Imò & præcipuos è medio tollit; *l.*XV. *Annal. c.* 57. *l.*XVI. *Annal. c.*16. & 23. non Matri, non Fratri, non Uxori, non Præceptori parcens, quod de Nerone Tyrannô ſcribit Noſter *l.* 14. *Ann. c.* 8. *lib.* 13. *Ann. c.* 16. *l.* 16. *c.* 6. *l.* 15. *c.* 63. Sævitiam Tiberii deſcribit Idem *l.* 6. *Ann. c.* 19. ut & libidines nefandas *lib.* 6. *Ann. c.* 1. voluptateſque Neronis *l.* XIII. *Ann. c.* 25. Impii Tyranni, quorum actiones inhoneſtæ, quorum offenſiones augemus induſtria atque Juſtitiâ, *l.*XVI. *Ann. cap.* 23. Soli enim hic Vitiorum Miniſtri perplacent, quorum proprium tales fovere, amare, honorare, ut Ariſtoteles exputat, quando V. *polit.* XI. actiones Tyrannorum commemorat. Sic validior apud libidines Principis Neronis Pacis fuit, quàm ut pœnâ afficeretur, *l.* 13. *Annal. c.* 22. Sic Otho ob luxum in amicitiâ Neronis flagrantiſſimus habebatur, *d. lib.* 13. *Annal. c.* 45. & *lib.* 1. *hiſtor. cap.* 13. Sic validior in dies Tigellinus ob malas artes, *d. l.* 13. *c.* 57. de quô plura *l.* 1. *Hiſtor. cap.* 72. Sed num hi tolerandi? Certè verba notatu digna Subrii Flavii *l.* 15. *Ann. c.* 67. ad Nevorem data: Oderam Te; nec quiſquam tibi fidelior Militum fuit, dum amari meruiſti: Odiſſe cœpi, poſtquam Parricida Matris & Uxoris, Auriga, & Hiſtrio, & Incendiarius extitiſti. Interim prudenter etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

Cerialis ad Treveros & lingones: Quomodo ſterilitatem, aut nimios Imbres & cætera Naturæ mala: ita luxum vel avaritiam Dominantium tolerate. Vitia erunt, donec Homines: ſed neque hæc continua, & meliorum interventu penſantur. Boni enim Imperatores expetuntur; qualeſcunque tolerandi, ſec. Marcellum ap. Noſtrum *lib.* 4. *Hiſtor. c.* 8. Ferre Regum Ingenia, præcipit Parthis Claudius *l.* XII. *Annal. c.* 10. Quod ſi quis ex ſuo uſu Claudium dictum putat, hoc dico, Flavium benè dixiſſe, ſi Princeps Tyrannicè agit: nec reliquorum ſermonem eſſe ſpernendum, ubi Rex vel Magiſtratus Tyrannica perpetrat: illud habitu perfecto talem innuit: hoc, diſpoſitione pravè electâ, in quo caſu certè tolerandus Princeps, licet aliquid ſævitiæ, vel libidinum, vel malorum conſultorum committat.

§. 12. Senatus etiam pars eſt Reipublicæ; quomodo à Romulo, & ex quibus, & qui conſtituti Senatores, docet Livius *lib* 1. *Vellej. Paterc. lib.* 1. & Noſter. *l.* XI. *Annal. cap.* 25. Hanc autem Senatoriam Dignitatem petere haud abſurdum, præprimis ſi petens Gratiæ aut Meritis confidit; judicante Tiberio *lib.* 1 *Annal. c. ult.* Et apud Majores, referente Noſtro *lib.* XI. *Annal. cap.* 22. Virtutis id præmium fuit, cunctiſque civium, ſi bonis artibus fiderent, licitum:

citum: Sed quid ſi peregrini? Certè neque his Dignitas Senatoria deneganda: quemadmodum gravitèr pro his diſputat Claudius *lib.* XI. *Annal. cap.* 24. Prius autem, quàm admittantur, Originem, Vitam, Facultates deſcribendas; ut qui forent, intelligeretur, vult Tiberius *lib.* 1. *Annal. c. ult.* Neque enim prodigi vel ob flagitia egentes admittendi, aut admiſſi tolerandi, quos Tiberius Senatu movet, aut ſponte cedere paſſus eſt, *lib.* 2. *Annal. c.* 48. Claudius ut mollius procedat, dum famoſos probris Senatu vult depellere, monet, ſecum quiſque de ſe conſultaret, peteretque jus exeundi ordinis, facilem ejus rei veniam & motos Senatu & excuſatos ſimul propoſiturum: ut judicium Cenſorum ac Pudor ſpontè cedentium permixti ignominiam mollirent. Laudati inde à Nerone *l.* 12. *Annal. c.* 52. qui ob anguſtias familiares ordine Senatorio ſpontè cederent; motique qui remanendo impudentiam Paupertati adjicerent. Senatus autem ità conſtitutus ſuam habere debet Poteſtatem: Ubi enim nihil Senatûs valet, nullam credit Rempublicam Cicero, *orat. ad Quirit. poſt redit. p. m.* 393. Inde Poſtulata Provinciarum, imaginem tantum antiquitatis Senatui præbens Romatum antiquitatis Senatui præbens Romano, ad Diſquiſitionem Patrum mittit Tiberius ſubdolus *lib.* 3. *Annal. c.* 60. inde Tribuni-

buniciam poteſtatem à Senatu Druſo petit, *l.* 3. *Ann. c.* 56. indè etiam de ſeditione illum cognoſcere jubet, *lib.* 1. *Annal. c.* 77. Atque ipſe Cæſar *l.* 4. *Annal. c.* 19. reſcribit, non eſſe infrigendum Jus Conſulis, cujus vigiliis niteretur, nè quod Reſpublica detrimentum caperet. Nihilque ferè Rerum egit Tiberius, quod non ad Senatum, principio Regiminis referret, & cognitioni Ejus ſubjiceret, tanquam vetere Republicâ, & ambiguus imperandi, cuncta per Conſules incipiens, *l.* 1. *Annal. c.* 7. ſed ubi prius Senatus largitionibus & precibus ſordidis exolutus, *lib.* 1. *Annal. c.* 15. Sic ſcivit ille firmare ſibi vim Principatûs! Cæterum Poteſtatem debere habere Senatum non amplius ambigitur. Poſt Poteſtatem debet etiam habere Autoritatem, quæ quærenda. Hanc & antiqua Conſulum Senatuſque munia multis extollit Nero Curiam ingreſſus *l.* 13. *Annal. c.* 4. hanc quærit Thraſeas *d. l.* 13. *Annal. c.* 49. dum etiam minima Conſulta non vult corrigere, ut Patrum honos ſervetur. Scilicet quò manifeſtum fiat, magnarum rerum Curam non diſſimulaturos, qui animum etiam leviſſimis adverterent. Thraſeam Piſo ſequitur *l.* 2. *Ann. cap.* 35. qui ob id magis agendum cenſet, ut abſente Principe, Senatûs & Equites poſſit ſua munia ſuſtinere, decorum Reipubli-

cæ fore. Claudius Timarchus Provinciâ Cretâ depellitur, quod dictitaſſet, in ſua poteſtate ſitum, an Proconſulibus, qui Cretam obtinuiſſent, grates agerentur. Vox enim ejus ad Contumeliam Senatûs penetravit, *l.xv. Annal. c.20.* Uſque adeò nihil non faciendum Senatui, ut Poteſtatem, ut Autoritatem illibatam teneat? Vim & Splendorem Collegii conſervat, ſi vitat inutiles & pravas Concertationes. Ideò Senatûs Populique Romani Imperium ſuſpectum, qui certamina Potentium intervenere; quibus motis invalidum legum auxilium fuit, quæ Vi & ambitu turbatæ, *lib. 1. Annal. c. 2.* Nec dubium, quin, ut in civitate, ita etiam Senatu diſcordi, parvæ quoque res magnis motibus aguntur, *l.2. Hiſt. cap. 10.* & ubi in commune non contulit, dum ſinguli pugnant, univerſus vincitur Senatus, quod de validiſſima Britannorum Gente ſcribit Tacitus in *Agric. c. 12.* Sic de Seleucenſibus ſcribit Idem *l. 6. Annal. cap. 42.* quod trecenti opibus aut ſapientia delecti, ut Senatus: ſua Populo vis: & quoties concordes agunt, ſpernitur Parthus: ubi diſſenſere, dum ſibi quiſque contra æmulos ſubſidium vocarit, accitus in partem adverſus omnes valeſcit: prout & Germanos diſcordia uſque ad exitium fatigavit, dicente Ceriale, *lib. 4. Hiſt. c.73.* Non E.

ſine

ſine ſummâ laude Agricola, dum procul ab æmulatione adverſus Collegas fuiſſe dicitur Tacito *in Agric. c.* 9. Poſtea, ubi Poteſtatem & Autoritatem vult ſalvam & integram, vitare etiam debet fœdas Adulationes. Regnante Tiberio adeò infecta & adulatione ſordida fuere tempora, ut non modò Primores Civitatis, ſed omnes Conſulares, magna pars eorum, qui præturâ functi, multiq; etiam Senatores certatim exurgerent, fædaque & nimia cenſerent: certè indecora hæc & infeſta Reipublicæ, *lib.* 3. *Annal. c.* 65. Adulationes Senatûs Romani ergà Tiberium, *lib.* I. *Ann. c.* 7. *&* XI. ergà Claudium. *lib.* XII. *Ann. c.* 41. ergà Neronem, *lib.* XIII. *Annal. c.* 8. & *l.* XIV. *Ann. c.* 12. pro cœsâ Matre; non ſine notâ; adeò ut juſtè exclamarit Tiberius; ô Homines ad ſervitutem paratos! Scilicet etiam Illum, qui Libertatem publicam nollet, tàm projectæ ſervientium patientiæ tædebat, *lib.* 3. *Annal. c.* 65. Contra decus Senatûs omnia. Et profectò adhuc per Annales Taciti Sententiæ Senatûs Romani, adulationum plenæ notabili dedecore feruntur, ex cujus dictis & factis pravis jam Infamia, dicente Noſtro *lib.* 3. *Annal. c.* 65. Quod in Senatu, idem in Senatore verum. Turpe, cum Senator Adulator, ceu Meſſala Valerius *lib.* I. *Annal. c.* 8. & Atejus Capite,

te, *l.*3. *Ann. c.*70. qui ideò inſignitior In-
famiâ, quod divini humanique Juris ſciens
Egregium publicum & bonas domi Artes
dehoneſtaviſſet, quando L.Ennium, Equi-
tem Romanum, Majeſtatis poſtulatum
quaſi per libertatem talem habet, quod effi-
giem Principis promiſcuum ad Uſum ar-
genti vertiſſet, licet Cæſar diſſentiat. Neque
ſine dedecore Cornel. Dolabella *d. lib.*3.
*Ann. c.*68. M. Silanus, qui ex contumelia
Conſulatus, honorem Principibus petit
d. l. 3. *Annal. c.* 57. Q. Haterius, qui ejus
diei SCta aureis literis figenda in Curiâ
cenſet; *d. l.* 3. *& cap.*57. Curtius Rufus
adverſus Superiores triſti adulatione; *l.*XI.
*Ann. c.*21. Vipſanius Patrem Patriæ Clau-
dium nominans, qui tamen Illum, ut ni-
mium aſſentantem cohibuit, *d. l.*XI. *Ann.*
*cap.*25. C.Caſſiius *l.*13. *Annal. c.*41. A.Vi-
tellius adulationum promtiſſimus, *lib.*14.
Ann. cap. 49. Satis Exemplorum. Adu-
latio autem ferè à Principe per Largitiones
comparatur: Ideò tertium Monitum Sena-
tui datur à Tacito, ut vitet nimias Largitio-
nes. Sic malè adhuc audit Senatus *ap.*
Noſtr. l. 1. *Ann. c.* 15. qui, quod Tiberius
voluit, libens tenuit largitionibus ac preci-
bus ſordidis exolutus: Ut enim leges pecu-
niâ turbantur, *l.* 1. *Annal. c.* 2. ita etiam
avari legum Cuſtodes, acceptâ pecuniâ, fa-
cilè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

cilè illas mutant : Non enim fides Reipublicæ integra, ubi magnitudo quæſtuum Spectatur, *l.* XI. *Annal. cap.* 6. Atque ſic habere quæſtui Rempublicam, non modò turpe eſt, ſed & ſceleratum, *ſec. Cicer. lib.* 2. *Officior.*

§. 13. Delegatus Magiſtratus eſt, qui à Superiore Provinciæ vel parti Regni, cum Imperio præficitur. Sic habemus apud Romanos Præfectum Urbi, qui profectis domo Regibus jus reddebat, *l.* 6. *Ann. c.* XI. habemus Quæſtores, *l.* XI. *Annal. cap.* 22. Procuratores, eorumque Jura *lib.* XII. *Annal. cap.* 60. Præfectos Provinciarum, quales inter laudatur â Tacito Agricola quoad actiones; *c.* 19. qui à Veſpaſiano Provinciæ Aquitaniæ præpoſitus, ſplendidæ inprimis Dignitatis adminiſtratione; *cap.* 9. *in Agric.* habemus alios. Tria verò & circa hunc Magiſtratum obſervanda : nempè ut conferatur hoc Imperium experientiâ probatis; cum Nerone, *l.* XIII. *Ann. c.* 30. ut coarctetur per leges; quomodo cohibita artius Ædilium poteſtas *ap. Noſtr. d. l.* 13. *Annal. c.* 28. ut fiat temporarium. Superbiunt Homines etiam annuâ deſignatione, quid ſi honorem, vitam agitent? Tiberius ob hanc cauſam nè in Quinquennium quidem Magiſtratum conſtituere voluit, *lib.* 2. *Annal. cap.* 36. Inde Dictaturæ

ad

ad Tempus ſumebantur, *lib.* 1. *Annal. c.* 1. & miratur Populus *cap.* 9. quod Auguſto continuata per ſeptem & triginta annos Tribunicia Poteſtas, cum tamen Tribunorum Militum Conſulare Jus non diu aliàs valuit. Continuata enim Magnatum Poteſtas proximus gradus ad Imperium majus, & habet ſpem, per audentiam, ſummæ Fortunæ.

§. 14. Judex eſt, qui Juri dicundo præeſt. Ex quibus autem ille eligendus; de quibus rebus judicare debeat, vel quomodo, docet *Ariſtot.* 4. *polit.* XIV. *&* XVI. Pro fundamento Judiciorum leges habentur, ubi his agi poteſt, non utendum credit Imperio, apud *Tacit. l.* 3. *Ann. c.* 69. Tiberius. Sed utrum melius Reſpublica à Legibus, vel à Viro optimo, qualem Judicem eſſe oportet, tegatur, diſquirit & decidit, *Ariſtot.* 3. *pol.* XI Perſonam Judicis ſatis prudenter deſcribit Tacitus *in Agric. cap.* 9. de quô refert, quod ubi Conventus ac Judicia poſcerent, fuerit gravis, ſeverus, intentus, & ſæpius miſericors. Ubi officio ſatisfactum, nulla ultra poteſtatis Perſona: Triſtitiam, & arrogantiam & Avaritiam exuerat: nec illi, quod eſt rariſſimum, aut facilitas auctoritatem, aut ſeveritas Amorem exuit. Rurſus autem tria Judici notanda: Ut ne, niſi cauſa cognita Jus & Injuriam diſcernat

l. 2.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

l. 2. *Annal. cap.* 66. quod latius deducit Burrhus *l.* 13. *Annal. c.* 20. *fin.* Ut Suppliciis & Remediis Judicis Moderatio temperet; vana à Sceleſtis, dicta à Maleficiis, quia differunt, diſtinguat, ut Manius Lepidus loquitur apud *Noſtr. lib.* 3. *Annal. cap.* 50. modò tamen ipſe, nè omnia examinet in publico judicio, vel interroget, cum Tiberio *l.* 3. *Annal. c.* 67. ſed immotus *d. lib.* 3. *Annal. c.* 15. Iræ & Clementiæ ſigna miſceat, *d. l.* 3. *c.* 22. Ut ne ob rem judicandam pecuniam accipiat, quia non è Re Reipublicæ. Ob eam etiam Cauſam P. Suilius in Inſulam amotus, *l.* 4. *Annal. c.* 31. Illud flagitioſum, turpiſſimum, maximè nefarium eſſe videtur, ob rem judicandam pecuniam accipere, precio habere addictam Fidem & Religionem, *Cicer. orat.* 3 *in Verr.* Malè agunt *l.* XII. *Ann. c.* 9. qui deſignatum Conſulem Memmium ingentibus promiſſis inducunt ſententiam expromere peſſimè autem facit, ſi ſecundum placita, niſi ea æqua & Juri conformia, pronunciat.

§. 15. In Judicio ſunt Advocatus, Accuſator, Reus, Advocatus debet eſſe peritus Juris; quomodo Afer ſit Advocatus, quia peritus, *Tacit. lib.* 4. *Annal.* Debet juſtam cauſam defendere; Diverſæ igitur à Muſonio famæ Demetrius *ap. Noſtr. l.* 4. *hiſtor. c.* 40. quod manifeſtum Reum ambitioſius

quàm

quàm honeſtius defendiſſet. Debet habere Salarium pro orandis cauſis, utrunque diſputat Silius apud *Noſtr. l.* XI. *Annal. c.* 6. *& l.* 13. *Ann. c.* 42. ſi tamen Perfidia Advocati venalis, coërceri poteſt per leges; apud Romanos per L. Cinciam *d. l.* XI. *Annal cap.* 6. Accuſator eſt, qui alterum in Judicio accuſat. Propriè talis ingratus dicitur, ſi præſertim Romanus quidam Hiſpo, qui formam vitæ iniit, quam poſteà celebrem miſeriæ temporum & audaciæ hominum fecerunt; *Tacit. lib.* 5. *Annal. cap.* 74. Et Delatores, Genus Hominum publico exitio repertum, & pœnis nunquam ſatis coërcitum *l.* 4. *Annal. cap.* 30. præſertim ſi interverſis Patroni rebus ad accuſationem transgreditur Fortunatus Libertus, *lib.* 16. *Ann. c.* 10. Interdum loco Accuſatoris eſt etiam Actor. Heu! miſerum Judicium, ubi Filius Patrem accuſat; Miſeriarum ac Sævitiæ Exemplum, *ſec. Noſtr. l.* 4. *Ann. c.* 28. Poſt mortem etiam vel Sepulturam accuſare, & pœnam decernere, ut *l.* XIV. *Ann. c.* 11. non ſemper conceſſum. Morte enim extinguitur Reatus: interim ſi ſalus Reipublicæ vel Nefas grande poſcit, haud abnuo. Indecorum autem, quando Primores Senatus infimas etiam Delationes exercent: alii propalam; multi per occultum; neque diſcernuntur alieni à conjunctis, Amici ab ignotis;

ignotis ; quid repens aut vetuſtate obſcurum : perinde in foro, in convivio, quaque de re locuti, incuſabantur, ut quis prævenire & reum deſtinare properat, *l.* 6. *Ann. c.*7. Mali etiam Commatis Domitius Afer, dum Varum Quinctilium, divitem corripit, Matris etiam ejus Condemnator. *lib.*4. *Annal.* 66. Accuſare quidem licet, ſed nocentes, ſed flagitioſos, ſed ob ſcelera. Aliàs melius eſt nocentem abſolvere, quàm innocentem condemnare. Signa ſunt ægræ Reipublicæ, ſi Cives accuſantur ob Amicitiam Bonorum ; ut Titus Sabinus ob Amicitiam Germanici defertur *lib.* 4. *Annal. cap.* 68. Si fœminæ accuſantur ob lachrymas, *lib.* 6. *Ann. c.* 7. Si aliquis Marcellus ob ſtatuam ejus altius, quàm Cæſarum ſitam, corripitur, *l.* 1. *Ann. c.*74. ubi *cap.*73. alia accuſationum iniquarum genera. Certè ſi contra leges publicas peccatum, accuſare licet Accuſatori publico : qui Cuſtos Legum, & præmiô afficiendus habetur Tiberio *lib.*4. *Annal. c.* 30. Approbo, ſi non Domitius Afer ad accuſationem, ceu ad flagitium accingitur *l. dict.* 4. *Annal. c.*66. ſi non corruptus ab aliis ad evertendum Ingenuos facit per ſcelera, ut Latiaris, Pirrius Cato, Rufus & M. Opſius *l.* 4. *Ann. c.* 68. Accuſare autem licet Reum. Sed num & Principem ? Certè civile ſatis, ſe Princeps ipſe

Legibus

Legibus Judiciorum ſede ſubjicit: Tiberio, ſi quando cum privatis diſceptabat, Forum fuit & Jus, *lib.* 4. *Ann. c.*7. Prius tamen Reus citandus & audiendus. Tiberius Rheſcupori ſcribit *lib.* 2. *Ann. c.* 66. delatus veniret, transferretque invidiam criminis. Criſpus Delatorem Fratris pervertere volens traxit magnam Senatûs partem, ut indefenſum & inauditum dari ad exitium poſtularent: alii autem dari tempus, edi crimina, quam vis inviſum ac nocentem, more tamen audiendum cenſebant. *l.* 2. *Hiſtor. cap.* 11. Optimâ Ratione. Indè Cingoniô Varrone & Petroniô Turpiliano, interfectis à Galba, quia inauditi atque indefenſi, tanquam innocentes habiti, *l.* 1. *Hiſtor. c.* 6. Adde, quæ de Tiberiô loquitur *Tacit lib.* 4. *Annal. c.*XI. in audiendô Filiô: de Burrhô, in audienda Matre Neronis, *lib.* 13. *Annal. cap.* 20. Niſi delictum notorium & morâ nocens Statui; ut in facto Meſſalinæ, *l.* XI. *Annal. c.* 31. utut Vibidia petit *cap.* 35. nè indefenſa Conjux exitio detur. Non tamen Mortem Lolliæ inauditæ comprobô *lib.* 12. *Annal. c.* 22. cum ea per molitiones Agrippinæ cadit, ſine notoriô crimine. Coree, talem proceſſum facias. Æquè enim tuum titubat Caput, atque alterius abſcindi pateris, non datô Jure. Non enim licitum, quod Nero facit cum Veſtino *lib.* XV. *Ann. c.* 68.

non crimine, non accuſatore exiſtente, ſi ſpeciem Judicis induere non poteſt Magiſtratus, ad vim Dominationis converti. Si autem à privatis Judicibus ſententia lata, iniqua parti, provocare ad Senatum vel ſuperiorem Magiſtratum poteſt; expedit autem, ut nè ſoluta ſit pœnâ Appellatio, quæ optimâ ratione fieri poteſt cum certæ pecuniæ periculô, *ſec. Noſtr. lib.* XIV. *Annal. cap.* 28. Nè ſcilicet litibus obruatur Princeps, quem ad majora trahunt Regnorum Moderamina.

§. 16. Hactenus Imperantes: Obedientes Perſonæ ſunt vel ex Numerô Indigenarum, vel Alienigenarum.

§. 17. Alienigenas voco Peregrinos. Horum Ratio, quoad dignitates & Honores, etiam in Republica habenda, cenſente Claudio *lib.* XI. *Annal. c.*23. Canulejus apud *Liv. lib.*4. *dec.* 1. *pr.* dicit; dum nullum faſtiditur Genus, in quo eniteret Virtus, crevit Romanum Imperium. Indè nè Regibus quidem exactis clauſa Urbs peregrinæ Virtuti.

§. 18. Inter Indigenas habemus Perſonas ſacras & profanas.

§. 19. Sacræ ſunt Sacerdotes, quorum Dignatio quærenda; *Noſtr. lib.*4. *Annal. cap.* 16. Ut tamen ritûs ſacrorum obſervent, Principis cura eſt, *lib.* XI. *Annal. cap.* 11. ad

quem

quem etiam ædes ſacras reſtaurare, exemplo Segeſtanorum, pertinet, *lib. 4. Annal. cap.* 8. Ipſæ verò perſonæ ſacræ officiis politicis præeſſe non debent: quomodo provinciarum Adminiſtratio Dialibus non conceſſa, *l. 3. Annal. c.* 71: Interim Salarium certum, & Locus honoratior illis non denegandus; ſcilicet quò promtior animus ſit ad capeſſendas Religiones vel ceremonias, *l. 4. Ann. c.* 16. Quas inter Perſonas utique eſſe poteſt & debet præeminentia: veluti apud Romanos fuit Pontifex ſummus, qui ſummus Hominum, non æmulationi, non odio, aut privatis adfectionibus obnoxius ſit, *l. 3. Annal. c.* 58.

§. 20. Profanæ Perſonæ ſunt vel ſexus maſculini, vel Fœminini; eæque vel majoris dignationis, vel Minoris:

§. 21. Majoris Dignationis ſunt Conſiliarii, Nobiles, Hiſtorici.

§. 22. Conſiliarius eſt Informator Status: Idem noſter multa tradit Præcepta, & Principi & Miniſtris ſalutaria. Pro Principe ſunt hæc: Continuare debet Princeps Imperia, & in iiſdem exercitibus aut Juriſdictionibus ad finem vitæ habere Miniſtrum *lib. 1. Annal. c.* 80. ſi præcipuus, cui ſecreta Imperii innituntur, *l. 3. Annal.* aliàs ſemel ſumtum, prorſus ſine modô tenere, videtur Autori noſtro non probari *l. 4. Annal. c.* 6.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

Eligendus autem bonus, licet non illuſtris Generis. Auguſtus M. Agrippam, ignobilem locô, bonum militiâ & Victoriæ ſocium geminatis Conſulatibus extulit, *lib.* 1. *Annal. c.* 1. Si quis Tiberius res ſuas ſpectatiſſimo cuique mandavit, *lib.* 41. *Ann. c.* 6. Si quis magnis virtutibus, evehendus ille; ut Corbulo exemplo *l.* 13. *Ann. cap.* 8. & Agricola *cap.* 8. *in Agric.* Peccat E. Vitellius *l.* 2. *Hiſtor. cap.* 57. dum Aſiaticum annulis honorat, fœdum mancipium, & malis artibus ambitioſum. Intereà tamen Princeps, nè una omnia committat; quia ſæpius infelix hæc poteſtas, quod teſtatur Sejanus, Imperii Machinator, *l.* 4. *Annal. c.* 41. Abdageſes, Regni Proceribus ideò inviſus *l.* 6. *Annal. c.* 43. Ita Didius ſenectute gravis, & multâ copiâ honorum, per Miniſtros agere ſatis habebat *lib.* 12. *Ann. c.* 40. Non ità nimis potentem faciat Miniſtrum Princeps: quanquam laudare Laborem & Vigilantiam ejus, exemplo Tiberii, *l.* 3. *Ann. c.* 72. & *lib.* 4. *Ann. c.* 2. haud inutile; imò & honoribus & muneribus afficere, cum Auguſtô, *l.* 1. *Ann. c.* 2. & *l.* XI. *Ann. c.* 4. cum Vitellio, expedit: honos autem ſi poſt mortem etiam durat, eò major, qualem Tiberius exhibet Lucillio longo, Amico, *l.* 4. *Annal. c.* 15. Non quidem nimis potens eſſe debet Miniſter Statûs; ſed tamen neſcio,

ſcio, an Fatô vel ſorte naſcendi, ut cætera, ita Principum inclinatio in hunc, offenſio in illum: an ſit aliquid in noſtris conſiliis, liceatque inter abruptam Contumaciam & deforme obſequium pergere iter ambitione & periculis vacuum, *lib.4. Annal. cap.20.* Hactenus pro Principe: Miniſtri ſequentia notanda axiomata; Prius autem, quam ea ſigo, dico, ſuadere Principi, quod oporteat, multi eſſe laboris, *l.1. hiſt. c.15.* quod demonſtrat Mutianus *l.2. hiſt. c.76.* Ubi igitur dat conſilium, det illud non præcipitanter, ſi tempus habet, ſed cunctatione & morâ, cæteris tamen paribus, *lib.4. Annal. cap.11.* Ita Paulinus cunctator fuit Natura, cui cauta potius conſilia cum Ratione, quàm proſpera ex caſu placuerunt, *l.2. hiſt. cap. 25.* Ubi enim Conſilia pravè cedunt, ipſi imputatur præcipitanti, *lib.13. Annal. c.38.* Nec arroganter conſulat; ſed audiat etiam Collegarum mentem: ſic peccavit Laco *l.1. Hiſt. c.26.* conſilii quamvis egregii, quod non ipſe afferret, inimicus, & adverſus peritos pervicax: Nec pertinaciter, ob quod Capito magis probatus dicitur *l.3. Annal. c.76.* nec timidè vel pavidè: quia pavidis conſilia in incerto, *l.2. Annal. c. 29.* ut exemplo Vitellius *l.14. Ann. c.49.* qui, ut pavida ingenia ſolent, reſpondenti reticuit: ſed conſtanter: quomodo à Pœto

Parthus tractu belli eludi potuerit, ſi aut in ſuis, aut in alienis conſiliis conſtantia fuiſſet, *l.* 15. *Ann.* c. x. Ita ſpretus Hordeonius Flaccus, quia ſine conſtantia, ſine auctoritate, *l.* 1. *hiſtor.* c. 9. Malè ceſſit expeditio Galbæ *d. lib.* 1. *Hiſt.* c. 19. ubi Legati fœda inconſtantia nominati, excuſati, ſubſtituti, ambitu remanendi aut eundi. Suadeat autem honeſta: Malorum enim facinorum Miniſtri quaſi exprobrantes aſpiciuntur, *l.* xiv. *Ann.* c. 62. quos ſi veteres & prægraves, oblatis in eandem operam, recentibus, Tiberius ipſe afflixit, *lib.* 4. *Ann.* c. 71. Ipſe verò Conſiliarius poſt fauſtum conſilium, nè jactet merita cum Antonio *lib.* 4. *hiſt.* c. 80. nimiô commemorandis, quæ meruiſſet, ſed omnia referat ad Fortunam Reipublicæ, quod vult Claſſicianus *l.* 13. *Ann.* *cap.* 38. quod Agricola facit, ad Auctorem & Ducem, ut Miniſter Fortunam referens, *cap.* 8. nè præmaturè & cum feſtinatione honores ambiat cum Brutidio *l.* 3. *Annal.* *cap.* 66. nè partas monſtret divitias, cum Statilio Stauro, *l.* 12. *Ann.* Aliàs quidem, ſi divites, poſſunt opibus conditiones pacis & arbitria belli tractare, *l.* 12. *Ann. cap.* 60. Sed valdè periculoſum. Etſi enim Princeps nihil agat: ſunt tamen alienarum Delatores cupidi divitiarum qui variis criminationibus talem aggrediuntur; exemplo datur Se-

neca

neca *l.* 14. *Annal. c.* 52. Geminius, *lib.* VI. *Annal. c.* 13. qui prodigentia opum cadit ac mollitia Vitæ. Pallas, *l.* 13. *Ann. c.* 23. alii. Nè diſputet de facto Principis: hujus enim ſenſus, etſi quid occultius parcet, exquirere illicitum anceps: nec ideò adſequâre: *l.* 6. *Annal. cap.* 8. Molliter igitur judicandum de illo, *l.* 14. *Ann. c.* 34. Nè credat, ut reliqua addam, Poteniæ: nihil enim rerum mortalium tàm inſtabile ac fluxum eſt, quàm Fama potentiæ non ſua vi nixæ, *l.* 13. *Ann. c.* 19. Nè ſit Salluſtius Criſpus, diverſus à Veterum inſtituto per cultum & Munditias, copiaque & affluentiâ, luxu propior, *lib.* 3. *Ann. c.* 30. Nè credat fortunæ aulicæ. Vitellius validiſſimâ gratiâ apud Agrippinam, *l.* 12. *Ann. c.* 42. tandem accuſatione corripitur. Uſque adeò incertæ ſunt res Potentium! Ille ipſe Criſpus erat præcipuus, cui ſecreta Imperatorum innitebantur: ætate provecta ſpeciem magis in Amicitia Principis, quàm vim tenuit: idque & Mecænati acciderat: Fato potentiæ raro ſempiternæ. Nè rixetur tandem cum altero: ſed potius unus alterum juvet, exemplo Senecæ *lib.* 13. *Ann. cap.* 20. cujus ope dignatio Burrhæ retinetur, dum eum Nero Præfecturâ demovere deſtinat.

§. 23. Nobiles quod concernit, ſemper his in pace durius ſervitium, bellum gratius

credit Noſter *l.* XI. *Ann. c.* 10. Ideò Auguſtus ferociſſimos proſcribit, ubi Monarchiam firmat: cæteros verò nobilium, quantò quis ſervitio promtior, opibus & honoribus extollit, *l.* 1. *Ann. cap.* 2. Certè tamen hi à Principe colendi; cum etiam Claudius Nobilitatibus externis, nedum internis fuerit mitis, *lib.* 12. *Annal. cap.* 20. Quia autem Nobilitas eximius honor, haud fas Principi fædare illum obſcœnis actibus, ad quos, nobilium familiarum poſteros, egeſtate venales Nero deducit *l.* 14. *Ann. c.* 14. Ita conqueritur Noſter *d. lib. c.* 15. ut non Nobilitas cuiquam, non ætas aut acti honores impedimento fuerint, quò minus Græci Latinivè hiſtrionis artem exercerent. Quapropter & Fœminis nobilibus licentia ſtupri interdicta, *l.* 2. *Ann. c.* 85. utut aliàs ea more inter veteres recepto probabatur qui ſatis pœnarum adverſus impudicas in ipſa Profeſſione flagitii credebant.

§. 24. Hiſtorici ſunt, qui Regum vel Populi alicujus proſpera vel adverſa memorant, *l.* 1. *Hiſtor. c.* 1. quomodo temporibus Auguſti dicendis non defuere decora ingenia, *lib.* 1. *Ann. c.* 1. Imò nec Virtutes Populorum ſilendæ, ut ex dictis factiſque pravis ex Poſteritate & Infamiâ metus ſit, *l.* 3. *Ann. c.* 65. Atque ex dignitate Pop. Rom. repertum, res illuſtres Annalibus mandare,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

*l.*13. *Annal. cap.*31. ſed ſine Irâ & ſtudio, quorum cauſæ procul habendæ Hiſtorico, *l.* 1. *Annal. c.*1. ſine aſſentatione, *l.* 1. *hiſt. cap.* 1. Sed quid, ſi laudem Hoſtium ſcribit, num puniendus? Si dignus laude, certè indignus pœnâ; ſi enim punit Princeps, dedecus ſibi, illi gloriam parere credit Noſter *l.* 4. *Ann. c.*34. ubi Cordi Defenſio ſatis accurata. Iniquum decretum, ſi capitale, cenſente Eodem, *in Agric. c.*2. Sed quid ſi Poëtæ canunt? Eadem Ratio, Lutorius, quod poſt celebre carmen Germanici ſupremadefleverat, & per vaniloquentiam legerat, corripitur, exanimatur *lib.* 3. *Annal. c.*49. *&* 50. indignâ Morte: meliori Jure ſtrangulatur Paconianus, ob carmina in Principem factitata *l.* 6. *Ann. c.* 39. præſertim ſi nimis probroſa, qualia exitium meritum dedere. *l.* 14. *Ann. c.*48. Antiſtio Prætori: & meritò comburuntur cum libris Fabricii, probroſa in Patres & Sacerdotes continentibus *d. l.* 14. *Annal. c.* 50. Nulla autem melior Ratio vitandi has Iras Magnatum & pœnas, quàm cum Muſonio, Studium Philoſophiæ æmulato, ſi præſertim accedit monitum modeſtiſſimi cujuſque, omittere intempeſtivam Sapientiam, *lib.* 3. *Hiſtor. c.* 81. Cæterum modica pars famæ ejus apud Poſteros], in quibus Carminum gloria præcellit, *l.* 12. *Annal. c.*28.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

§. 25. Minoris Dignationis ſunt Mathematici, qui *ſec. Tacit. l.1. hiſt. c.22.* Genus hominum potentibus infidum, ſperantibus fallax: de quo plura *l. 2. Annal. c. 21,22.* An igitur Princeps hos ſuper Negociis, cum Tiberio conſulere debeat, dubitat Autor *l. 1. Hiſtor. c. 22.* quorum præſagia rejicit, ipſos ex Urbe exterminat prudentius cum Juſtiniano; *t.t. C. de Malefic. & Mathematic.* Hiſtriones, cum multa ab iis in publicum ſeditiosè per domos fæda tentantur, *lib. 4. Annal. cap. 37.* expellendi: aut ſi tolerantur certè gravibus legibus & pœnis coërcendi, præeunte Noſtro *l. 1. Annal. cap. 22.* Publicani: Horum dignatio quidem primis temporibus magna fuit, teſtante *Cicer. in epiſt. 1. ad Q. Fratr.* ſed tandem propter nimiam avaritiam & rapinas, illorum autoritas vileſcere cœpit: Si ergò ii immodeſti, & alia exactionibus illicitis nomina inveniunt, benè coërcendi, quod Nero, ſuaſu Senatorum facit *l. 13. Ann. c. 51.* Minoris etiam Dignitatis habentur in Republica Fœneratores. Vetus urbi fœnebre Malum, & ſeditionum diſcordiarumque creberrima cauſa: eoque cohibebatur, antiquis quoque & minus corruptis moribus, ſcribit *Noſtr. l. VI. Ann. c. 16.* Si ex libidine locupletium agitatur hoc fœnus, Princeps medeatur huic malo, & credat faciatque

Fæna-

Fænatorum Nomina & Debita pœnis digna; docente Tacito *d. lib.* 6. *Annal. & cap.* 16.17. Sic ipſe Claudius Sævitiam Creditorum coërcet *l.*XI. *Annal.c.* 13. Tandem minoris honoris, ſed majoris reſpectus politici Plebs univerſa. Certè prima Imperantis cura eſſe debet, ut hanc flectat. Ita Vitellius ad novum Regem, Artabanum flectit Popularium animos, *l.*6. *Ann. c.* 37. Ità ipſe Artabanus ejectus, vulgus Miſeratione rurſus advertit, pudorem non exuens; *d. lib.* 6. *c.*44. Dolet Tiberius *d. lib.* 6. *c.*46. quod Germanici Filio vulgi ſtudia, quæ primis ſtatim annis, ſimili tegmine pedum conciliavit, *l.* 1. *Ann. c.*41. prout ipſe Germanicus Ægyptiorum animos hôc modô demulſit, multa in vulgus grata uſurpans, *l.* 2. *Ann. c.* 59. Ita Nerone virilem togam ſumente editur ludicrum Circenſium, pro acquirendis vulgi ſtudiis, *l.* 12. *Ann. c.*41. Pharaſmanes, quia ſtudiô Popularium accinctus, ideò Filius, hunc aliam ad ſpem trahit, ut ipſe, vergentibus jam annis, ſit ſecurus regni, *d. l.* 12. *c.*44. Sic Nerone ad Imperium vocato, Teſtamentum Claudii haud recitatum, nè antepoſitus Filio privignus, injuriâ & invidiâ animos vulgi turbaret, *d. l.* 12. *c. ult.* Claudius *d. l.* 12. *Ann. cap.* 3. L. Silanum, cui Octaviam deſponderat, Juvenem alias clarum, inſigni triumphalium

phalium & gladiatorii Muneris magnificentia, protulerat ad Studia vulgi. Ità plebem flectendam diximus vel per Miſerationem, vel per ſimilem Plebi Veſtitum, vel per ludos, vel per alia vulgus grata : Quæ inter omnia Annonâ nihil acceptius. Auguſtus *l.* 1. *Ann. cap.* 2. ſtatim eam Annonâ pellexit : inde Ægyptum, Granarium Romanum ſuæ tantum diſpoſitioni, ceu arcanum reliquit, *l.* 2. *Annal. c.* 59. Sævitiam annonæ, incuſante Plebe, ſtatuit frumento precium, quod Emtor penderet, Tiberius, *l.* 2. *Ann. c.* 87. qui & *lib.* 6. *Annal. c.* 13. addit, quibus è provinciis, & quantò majorem, quàm Auguſtus, rei frumentariæ copiam advectare poſſit, cum gravitate annonæ juxta Seditionem ventum. Germanicus, quando cura Provinciæ prætendebatur, levavit apertis horreis, precia frugum, *lib.* 2. *Ann.* 59. invidente Tiberiô, quanti interſit, ſciente : atque vulgari Homini, alimenta in dies mercari ſolito una ex Republica annonæ cura, & dum timet retineri commeatûs, credit *lib.* 4. *Hiſtor. c.* 38. Flectendam plebem, & quibus modis ea flecti poſſit, vidimus hactenus : ſi tamen etiam ob nimium ocium laſcivit, cum Heraclienſibus apud *Iuſtin. l.* 16. *hiſt.* ſi ſemper ad deteriora, promta; *lib.* XV. *Annal. cap.* 64. vel ſi Dominos imperantes traducit & differt.

fert, ut Plebs Romana, *lib.2. Annal. cap.9.* etiam per pœnas coërcenda eſt. Etenim nihil in ea modicum: terrere, nì paveant: & ubi pertimuerint, impune contemni *d. l.1. Annal. c.* 29. quæ etiam niſi Vim metuit, audaciâ turbidam facit Rempublicam, *lib.6. Annal. c.*11 Tandem etiam Mores Plebis intelligere, Imperantis intereſt. Fortuita ad culpam trahit, *lib.4. Ann. c.*64. habet mobilem animum *l. 3. hiſt. c.*64. præſertim ubi ſuperſtitione perculſa, *l.1. Ann. c.*28. fingendi eſt avida, *lib.2. hiſt.* 1. & tàm ſævitiâ *l.1. hiſt. c.*69. quàm Miſeratione, & favore immodica, *d. lib.2. hiſt. c.* 29. ſine Rectore præceps, pavida, ſocors, *lib. 4. hiſtor. c.*37. habet procax Ingenium, *lib. 3. Hiſtor. c.*32. Novarum rerum cupiens, *l.15. Ann. c.*46. ut & voluptatum, ſique iiſdem Princeps trahat, læta, *l.14. Ann. c.*14. nova & præcipitia præcolere avida, & cui plerumque fallax ambitio eſt, *lib.14. Ann. c.*22. & minor Sapientia, ut & ex mediocritate Fortunæ pauciora pericula, *d. lib.*14. *c.*60. In fide retinetur, ubi idonea inſtrumenta Servitutis parantur. Cogiduno Regi civitates donatæ, qui ad noſtram Taciti memoriam fidiſſimus manſit, vetere ac jam pridem recepta Populi Romani conſuetudine, ut haberet Inſtrumenta Servitutis & Reges, *Agric.* 14. Ita accolæ Hibero Albanoque, & alii

alii Reges magnitudine Romanâ protecti adverſum externa imperia: non tàm propter ipſos, quàm ut per ipſos, ceu Inſtrumenta, Plebs fida maneret: hos inter inſervientes Reges, Antiochus dicitur noſtro Tacito *l. 2. Hiſtor. c. 81.* ditiſſimus.

§. 26. Fœminæ etiam ad Statum pertinent, ſunt illæ vel illuſtres; ut Reginæ. Fœminas enim etiam Imperii capaces eſſe demonſtrant & probant multis Politici. Britanni ſexum in Imperiis non diſcernunt, *Agric. cap.* 16. Germani ineſſe his ſanctum aliquid ac providum putârunt, qui conſilia Mulierum audierunt, nec earum neglexerunt Reſponſa, *Tacit. de morib. Germ. cap.* 8. quod videre licet in Velleida, imperante Deâ *lib.* 4. *Hiſtor. c.* 61. vel ut Numinis Internuncio *d. l.* 4. *Hiſt. c.* 65. ſecus putant Parthi *lib.* 2. *Ann. c.* 4. qui tentatum Fœminæ Imperium rejiciunt: ſecus Silures, qui Cartiſmanduam ſpernunt, *l.* 12. *Ann. c.* 40. Sed quot Populi, tot ſenſus: & quandoque Fœminarum Imperium plurimùm ſalutare. Verùm, an Rex Uxorem vel Matrem ad Regimen ſimul admittere debeat, dubitatur. Juſtinianus quidem reverendiſſimam Conjugem participem facit conſilii, *Nov.* 8. *cap.* 1. Sed Tiberius muliebre faſtigium in diminutionem ſui accipit; apud *Tacit. lib.* 1. *Ann. c.* 14. qui ideò Româ extruſus creditur,

ditur, Sociam Dominationis Matrem aſpernans, *l.* 4. *Ann. c.* 57. Pavore defixi omnes, quando Mater Neronis, Legatis Armeniorum cauſam Gentis apud Neronem orantibus, aſcendere ſuggeſtum Imperatoris & præſidere ſimul parat, ubi tamen Senecâ monente, obviam itura ſpecie Pietatis dedecori, cum Nero venienti Matri occurrit, *lib.* 13. *Annal. c.* 5. Et novum ſanè, credidit Idem *l.* 12. *Ann. c.* 37. & veterum moribus inſolitum, Fœminam ſignis Romanis præſidere; ut proindè Tiberius etiam malè tulerit, dum Germanici Uxor munia Ducis induit, Militibus, ut quis inops aut ſaucius, veſtem & fomenta dilargiens, *lib.* 1. *Annal. cap.* 69. imò quod & ſtudia Hominum in eam accenſa *l.* 3. *Ann. c.* Penitus E. Tiberius damnat γυναικοκρατίαν. Nec Plancina, ſe intra decora Fœminis continere dicitur, quando exercitio Equitum, & decurſibus Cohortium intereſt; *ſec. Tacit. lib.* 2. *Annal. c.* 55. Ratio autem unica, licet non univerſalis: quia Fœminæ modum rei ſervare neſciunt, quod adumbrat Noſter in Agrippina, *l.* 13. *Annal. c.* 13. Et ſui impotens eſſe fertur animal, *ſec. Liv. lib.* 34. *c.* 3. & 4. Etſi verò Fœminæ ad regimen non vocentur, ſi nempè eæ intra thalamum, vel ſanguine junctæ: Mos tamen ipſarum eſt, velle eſſe magnæ Dignationis & Potentiæ:

Quid

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

Quid Uxor Claudii pro potentia fecerit,
docet *l.* 12. *Annal. c.* 7. & 42. quid Bou-
dicéa, *lib.* 14. *Annal. c.* 35. quæ filias curru
præ ſe vehit, & Nationem quamque acce-
dens Fœminarum ductu Britannos ſolitos
pugnare commemorat, Militeſque ad præ-
lia hortatur. Non tamen negandum eſt,
multa efficere poſſe in Republica & apud
Regem Maritum. Per Matris dolum & Ar-
tes Tiberius ad regnum pervenit, cum Se-
nem Maritum adeò devinxerit, ut Nepotem
unicum, Agrippam Poſthumum in Inſulam
Planaſiam projiceret, *lib.* 1. *Annal. c.* 3. in-
dè *d. l.* 1. *c.* x. gravis in Rempublicam Ma-
ter dicitur, gravior domui Cæſarum No-
verca, cui nihil Deorum honoribus reli-
ctum. Scivit hoc Vonones *ap. Tacit. lib.* 2.
cap. 58. qui ideò Piſoni gratiſſimus, quod
plurimis donis & officiis Plancinam *cap.* 69.
devinxerat. Ita corruptæ Uxores Magiſtra-
tum Maritum clementiorem reddunt. Quid
Sejanus per Liviam, *l.* 4. *Ann. c.* 3. fecerit,
quid per Enniam Macro *lib.* 6. *Annal. c.* 45.
docet noſter Politicus. Ita Uxor Tiberii
viiligas, ſomnos, ſuſpiria Matri Liviæ, atque
illa Sejano patefecit *l.* IV. *Ann. c.* 60. quan-
doque tamen haud prohibitum Reginæ
tentare preces, præſertim ſi illa non immi-
tis triſtibus, quod de Galeriâ Imperatoris
Vitellii Uxore ſcribit *Tacit. l.* 2. *hiſt. cap.* 64.

Vide,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

Vide, quiſquis es, quid Fœminæ Uxores in Regimine efficient. Si tamen muliebres offenſiones mutuæ occurrunt, velut inter Liviam Novercam & Agrippinam, *lib.* 1. *Ann c.* 33. inter Agrippinam & Lepidam, *l.* 12. *Ann. c.* 64. nec eæ graves Maritis, quas vel unicus deplorat Germanicus moribundus *lib.* 2. *Ann. c.* 72. Scilicet quia Fœmina ambitioſum animal, & Dominationis avidum; arduum autem eôdem loci potentiam & concordiam eſſe, *ſec. Noſtr. lib.* 4. *Annal. c.* 4. ideò tot offenſiones, tot nonnunquam ſimultates inter Fœminas illuſtres, imò & minus tales oriuntur. Non igitur hæ injuriis afficiendæ: quemadmodum Claudius Populi laſciviam theatralem ſeveris edictis increpat, quod in Fœminas illuſtres probra jecerat; *l.* XI. *Annal. c.* 13. Potius enim ſexum hunc venerari addecet, ac deſpicere. Sed tamen cave nè huic arcana committas; imò nec Uxori: Martia Uxor Maximi cauſa fuit exitii Marito, *l.* 1. *Annal. cap.* 5. dum ſenſa Auguſti Illi aperit; quæ tacere neſcia Liviæ rurſus defert. Cave, nē amore incautus Formam Elegantiamque Uxoris laudes apud alios; Nobilitatem, Pulchritudinem, Vota omnium, Gaudia felicium dicendo, *lib.* 3. *Annal. c.* 46. Indè peccavit Collatinus apud *Liv. lib.* 1. *fin.* Candaulis apud *Iuſtin. l.* 1. *c.* 7. Nec eæ, ſi

Maritæ,

Maritæ, à latere Maritorum, provincias adminiſtrantium, ſeparandæ, ut Valerius Meſſalinus ſtatuit, *l.* 3. *Annal. c.* 33. Sunt enim proſperis dubiiſque ſociæ, *l.* 12. *c.* 5. Vitanda autem Marito & Maritæ omnis Zelotypia; quæ Calpurniæ, illuſtri fœminæ exitium dedit, dum Princeps formam ejus laudat, nullâ licet libidine, ſed fortuito ſermone; *l.* 12. *Ann. c.* Si nimia hæc, damnanda; ſi juſta, toleranda. Nè tamen Maritus Magiſtratus, culpæ alienæ neſcius provincialibus Uxorum criminibus perindè, quàm ſuis plectatur, ut iniquè cenſet Meſſalinus Cotta, *l.* 4. *Ann. c.* 20. Nemo enim alieni criminis Succeſſor conſtitui debet; unuſquiſque enim ex ſuo admiſſo Sorti ſubjiciendus, *l. crimen.* 26. *ff. de pœn.* Cæterùm in genere Fœminarum libidines coërcendæ; *l.* 2. *Ann. c.* 85. Impudicitia enim magnorum Reipublicæ malorum ſæpè Initium *lib.* 13. *Annal. c.* 45. neque Fœmina, amiſſa pudicitia alia abnuit, teſte Liviâ *l.* 4. *Annal. c.* 3. Ideò Romæ SCtum Claudianum factum, *lib.* 12. *Ann. c.* 53. vix E. Lupanaria toleranda & omne id, quod contra fœmineum pudorem. Ideò Matrimonii Cuſtos eſſe debet, Magiſtratus. Sit igitur etiam Princeps, Maritus, ob cauſas *lib.* XII. *Annal. cap* 5. adductas, cum & per matrimonium nonnunquam creſcere & firmari

poteſt

poteſt regnum. Ita crevit Domus Auſtriaca. Hoc quidem augmentum & firmamentum quærit Tigranes, *lib.* 2. *Annal. c.* 3. ſed infeliciter. Interim Matrimonium ſæpè gradus Promotionis. Agricola Domitiam Decidianam ſplendidis natalibus ortam ſibi junxit, idque matrimonium ad majora nitenti decus ac robur fuit, *in Agric. cap.* 6. Per Liviam quærit Sejanus potentiam, ſed impiè *l.*4. *Annal. c.*39. Pater autem, ubi inſtat Virginum ætas, quæret Filiabus Maritos cum Tiberio *l.* 6. *Annal. c.* 15. Ubi enim laſciviunt, caſtitatis periculum.

27. Poſt Perſonas in Regno conſideratas veniunt extra Regnum Socii & Confœderati. Pro his magna & gravia bella Romani ſemper geſſerunt, ut dicit *Cicer. orat. pro L. Manil.* quibus Sociorum Nomen ſemper fuit Nomen Sanctiſſimum, ſec. Eundem. Sunt autem Socii neceſſarii: nullum enim majus boni Imperii Inſtrumentum, quàm boni Amici, *lib.* 4 *hiſtor. cap.* 7. Ita Britanni tandem docti commune periculum concordia propulſandum, Legationibus & Fœderibus omnium civitatum vires exciverunt. *Agric. c.* 29. Ita Aquila & Cotys, quia Zorſines Soracorum Rex hoſtilia reſumſerat, externas & ipſi gratias quærunt, miſſis Legatis ad Eunonem, qui Aderſorum Genti præcellebat, *l.* 12. *Ann. cap.* 15.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

cap. 15. Imò quod magis, Catualda, ingrediens fines Marcomannorum corrumpit ad Societatem Primores, *l.* 2. *Ann. c.* 62. Sic Anicetus ſub Regis auxilio tutus, quem ille pecuniâ doniſque ad Societatem perpulit, *l.* 3. *hiſt. c.* 48. Sic Civilis Galliarum Societatem arte doniſque affectat, *l.* 4. *hiſt. c.* 17. Priuſquàm autem Societatem ineat, caute examinet fidem Hoſtium: quandoque enim Rex Izates ſocietatem Meherdatis palàm induit, in Gotarzen verò per occulta & magis fida inclinat, *lib.* 12. *Annal. c.* 13. Si ambit Societatem Princeps, nè mittat pro ea viles Homines; ceu Nero Polycletum Libertum *lib.* 14. *Ann.c.* 39. qui hoſtibus tantum irriſui fuit: nè ullum alium, niſi ex ſimilitudine Fortunæ quærat, ut cenſet Eunones apud *Eund. lib.* 12. *Annal. cap.* 19. & Caractacus, *ibid. c.* 37. Si quanta Nobilitas & Fortuna mihi fuit, tanta rerum proſperarum Moderatio fuiſſet: amicus potius in hanc Urbem, quàm captus veniſſem: neque dedignatus eſſes claris Majoribus ortum, pluribus Gentibus imperitantem fœdere pacis accipere. Sic etiam fœdera certis ritibus peraguntur; Quibuſdam Regibus mos eſt per cruorem, quem lambunt, firmare, *l.* 12. *Ann. c.* 47. Parthi apud altavia DEUM, complexi dextras, pangunt, *l.* XI. *Annal. cap.* 9. Imò dantur

etiam

etiam munera ; quomodo repetitus ex vetuſto Mos à Romanis, & miſſus è Senatoribus, qui Ptolomæo, cognitis per bellum Teſſarinatis, Studiis, Scipionem eburnum, togam pictam, antiqua Patrum munera dedit, Regemque & Socium atque Amicum appellavit, *Tacit. lib.* 4. *Annal. c.* 27. Contracta Societas ſanctè obſervanda ; quomodo Vologeſes, magnitudine Romanâ & continui fœderis Reverentia diverſas ad curas trahitur, *l.* XV. *Annal. c.* I. Caſperius *l.* XII. *Annal. c.* 45. obteſtatur, nè Socius Rex ſcelere vel pecuniâ vendatur : quin etiam Sociis ſuccurrendum, ſi ab hoſte oppugnantur. Blæſus quidem juvat, ſed captô Fratre Tacfarinatis, properantiùs, quàm ex Utilitate Sociorum, regreditur, *lib.* 3. *Annal. c.* Si inter hos Leges, dextrè eæ intelligendæ, ſecus atque Rhadamiſtus facit, apud *Tacit. l.* XII. *Annal. c.* 47. Si litigant, litibus ii eximendi : Germanicus cuncta ſocialia proſperè componit *lib.* 2. *Ann. c.* 53. Inter Cyrenenſes & malæ fidei poſſeſſores agrorum, ortâ lite, ſubvenit Sociis Nero & uſurpata concedit, *l.* 14. *Annal. c.* 18. Tiberius ipſe ſociorum preces tractat, *lib.* 4. *Annal. c.* 13. Uſque adeò ſubveniendum ſociis, Virium æmulis, cedentibuſque per Reverentiam, ut Legati Parthorum loquuntur, *l.* XII. *Annal, cap.* 10. Quò autem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

tem firmius ſit fœdus, dantur nonnunquam obſides, qui Hyrcanis Amicitiæ pignora dicuntur *lib.* 14. *Annal* *c.* 25. Ita Tigranes diu obſes apud Urbem fuit, *dict. l.* 14. *Annal.* *c.* 26. Civilem ideò univerſa Germania extollebat, quod Societas nobiliſſimis obſidum firmata *l.* 4. *Hiſtor.* *c.* 28. E. hi interdum neceſſarii, præſertim ubi fides dubia exemplo Friſiorum *l.* XI. *Ann. cap.* 19. Sed tamen hi minus lædendi, vel hoſtibus tradendi; quod Agrippinenſes faciunt, dum auxilium à Romanis orantes, Uxorem & Sororem Civilis, Filiamque Claſſici, relicta ſibi pignora Societatis, offerunt. Minus rectè. Si finem quæris obſidum dandorum? Ideò obſes Auguſto datus à Phrahate Vonones dicitur *Tacit. l.* 2. *Annal. c.* 1. firmandæ Amicitiæ, haud perinde Romanorum Metu, quàm Fidei Popularium diffiſus. Alterum finem Parthi exponunt *l.* 12. *Annal. cap.* 10. quod ideò Regnum liberi obſides dentur, ut ſi domeſtici Imperii tædeat, ſit regreſſus ad Principem Patreſque, quorum moribus aſſuefactus Rex melior adſciſceretur. Sic unius rei multi poſſunt eſſe Fines. Mittuntur autem pro fœdere, quale quale illud ſit, Legatis inde Jus legationis quia ſanctum, & inviolabile; ideò & Legati tales. De Militibus Romanorum rebellibus *Tacit.* ſcribit *l.* 1. *Annal. c.* 39. quod

niſi

niſi Aquilifer Calpurnius vim extremam arcuiſſet, à Planco legato, rarum etiam inter Hoſtes, Legatus Populi Rom. ſanguine ſuô altaria DEUM commaculâſſet, inde Hoſtium Jus Sacra Legationis, Fas Gentium ipſo rupiſſe, dicit Germanicus *d. lib.* 1. *Annal. cap.* 42. Confirmat Noſter *lib.* 3. *Hiſtor. c.* 80; qui ſacrum etiam inter exteras Gentes Legatorum Jus cenſet. Probè autem videndum, num tantùm, cum Polycleto, ad ſpectandum Reipublicæ ſtatum mittantur, *l.* 13. *Annal. c.* 39. vel ut feriò agant & tractent pro Rerum publicarum Salute: cætera, quæ ad Legatorum Jura & Actiones pertinet, legi poſſunt apud alios.

II. *Ratione Rerum.*

1. *Secunda Objecta ſunt Res civiles; quæ vel ſacræ vel publicæ; & illas inter Religio, Auſpicia, Aſyla, Statuæ Principis; omniumque dantur monita.*
2. *Rerum publicarum Diviſio.*
3. *Circa Res externas Regulæ.*
4. *Rerum internarum Diviſio, quod eæ vel moderantes, vel conſtituentes.*
5. *Rerum moderantium ſpecies ſunt leges & Mores Majorum.*
6. *De Legibus Monita.*
7. *De Moribus itidem Axiomata.*

8. *Rerum*

8. *Rerum conſtituentium Diviſio, quæ vel Salutem ſpectant omnium, vel Mortem ſingulorum.*
9. *Salutem ſpectant omnium Reſpublicæ; & quid eæ? & in quibus conſiſtunt; nempè vel in opibus, vel in ordinandis cæteris Rebus.*
10. *De opibus publicis, & quomodo acquirantur, per Reditûs, Tributa, Vectigalia, Theſauros, Pœnas.*
11. *Opes quomodo per Ærarium conſerventur, & quæ circa Ærarium regulæ.*
12. *Rerum ordinandarum Diviſio vel quoad Neceßitatem, vel quoad Voluptatem.*
13. *Quoad Neceßitatem ſunt ædificationes, Opera publica, Collegia, Commercia, Coloniæ.*
14. *Quoad Voluptatem habentur ludi.*
15. *Res Mortem Singulorum conſiderantes ſunt Pœnæ & Exequiæ.*
16. *De pœnis & quæ circa has conſiderandæ Magiſtratui Regulæ.*
17. *De Exequiis, Earumque Diviſione.*

§. I. PErſonas hactenus vidimus, præeunte Politicô & Statûs Doctore Tacitô: ſuccedunt Res, ſecunda Objecta. Pono autem primô locô Religionem. Mida Phrygiam Religionibus implevit, quibus tutior omni vitâ, quàm armis fuit, referente Juſtino *l.* XI. *Hiſtor.* Numa etiam Religionibus

bus & divinô Jure Populum devinxit, *l.* 3. *Ann.c.*26. Hujus enim, Religionis, cura meritò ſuſcipienda à Magiſtratu. Apud Romanos de Religionibus ſpecialiter tractatum fuiſſe, docet Idem noſter, *l.* 3. *Ann. cap.*71. & *l.* 4. *Ann. c.*16. de Religionibus tractatur: imò allig. *l.*3. *Ann. c.*71. deciſum: Cunctas Cæremonias Italicis in oppidis, Templaque & Numinum effigies, Juris atque Imperii Romani eſſe. Tiberius ipſe Autor eſt Senatui, Vitellio atque Veranio & Servæo Sacerdotia tribuendi, *l.* 3. *Annal. cap.* 19. Si quid dubii in Religione, dandum Sacerdotibus negocium, quantum humanâ ope poſſunt, vera diſcernere, ut de librô Sibyllæ diſſerit Noſter *lib.* 6. *Annal. cap.* 12. Claudius ſuper Collegiô Aruſpicum refert ad Senatum, Senatus ad Pontifices; videant illi, quæ retinenda firmandaque Haruſpicum, *l.*XI. *Ann. c.*15. E re tamen etiam Magiſtratum Sacrorum inſtituere; quomodo apud Eundem *l.*XI *Ann.c.*XI. Collegio Quindecimvirali ea cura antiquitus, & Magiſtratus executus officia cæremoniarum. Ipſe Tiberius audit Lacedæmoniorum & Meſſeniorum Legationes, de Jure templi Dianæ Limenetidis *lib.* 4. *Annal. c.*43. & 55. Templa & Religiones addidit Ægypto Ptolomæus *l.* 4. *hiſt. cap.* 83. Uſque adeò res Eccleſiaſticæ externæ ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

Magiſtratum: internæ verò, autoritate Superiorum, ad Sacerdotes Jure optimô pertinent. Si autem Religionem quærimus; expedit unam habere in Regnô: diverſæ tamen tolerandæ: ſin autem minus utile credit Princeps, nè ſæviat in Heterodoxos, ſed vel cedere jubeat Regioni, niſi certam ante diem ritus hæreticos exuant, vel etiam in aliam Regionis partem, licet aſperrimam, transferat, ubi ſi intereunt, vile damnum, ut de Judæis in Sardiniam pulſis loquitur *Tacit. lib. 2. Annal. c. 85.* Ad Religionem Ethnici etiam Auſpicia retulerunt; pleraque enim in ſumma Fortuna auſpiciis & Conſiliis, quà n telis & Manibus geri, credunt illi de Nerone loquentes apud *Noſtr. l. 13. Annal. cap. 6.* Vel auſpicia autem ſunt in cœlo, vel in terra, vel fluminibus etiam: quorum quæ cœlô terrâque portenduntur, certior Fides, *ſec. Tacit. lib. 6. Annal. cap. 37.* Habentur etiam Auſpicia Imperatoria, de quibus magnifica loquitur Corbulo *lib. 15. Annal. c. 26.* Audit Auſpicum Verba Silius *l. 10. Ann. c. 27.* Nero Ganeo *l. 15. c. 37.* & quæ ſunt alia. Huc pertinent Templa, quæ non niſi permiſſu Magiſtratûs ædificanda, *l. 3. Annal. c. 72.* ædificata autem conſecranda, quomodo Romani fecerunt *l. 4. Hiſtor. c. 53.* Sed num & in honorem Regum ſtruenda? Utut negat Ti-

berius *l.4. Ann. c.37.* favorabili oratione: mittit tamen, dum Legati Aſiæ Templum poſcunt, Legatum, qui Templi curam ſuſcipiat, *d. l. 4. Ann. c.* quale Tiberio, Matrique Ejus, ac Senatui permiſſum legitur, *d. l.4. c.15.* & extructum Saluti Neronianæ *l. 15. c. ult.* planè adulatoriô more. Addo Templis æra, quæ utique ſuſpendere licet in illis ſacrandam ad memoriam *l. 3. Hiſtor. cap. 63.* Inde etiam Mos noſter. Sed quid de Aſylis Statuiſvè Principum dicendum? Num Aſyla ea Miſeris conſtituenda, propter Fortunam nempè, non Malitiam, diſquiritur. Videtur, permittenda eſſe; de quibus benè multa Tacitus *l. 3. Annal. c. 36. & 60. & l. 4. c. 14.* ubi Abuſum eorum taxat, Uſum approbet. Adde *H. Grot. lib. 2. de Iur. Pac. & Bell. c. 21. §. 5.* Effigies autem & Statuæ Principum æquè ac aræ DEUM, ac Templa à Senatu cenſitæ *lib. 3. Annal. cap. 57. l. 13. Annal. c. 8.* Sed num eæ in alios Uſus non convertendæ? Quia Adulator, ob id negans, Atejus Capito, certè permiſſum colligitur *lib. 3. Annal. cap. 70.* Ut & Statuas eas cum Hortis vendere, etſi enim Statua res ſacra, tamen ut acceſſorium ſuum ſequitur principale, *l. in modicis. 24. ff. de contrah. Emt.* ut deciditur etiam in *l. 1. Annal. c. 73.*

§. 2. Poſt Res ſacras, & quæ Sacrorum

numerô habentur, Res publicæ propriè tales penſitandæ: quales vel externæ ſunt, vel Internæ.

§. 3. Circa Res externas duo veniunt, notante Tacitô. Scilicet conſiliis & æſtu res externas moliri, arma procul habere, *l.6. Annal. c.* 32. Omne ſcelus externum cum lætitia habendum: ſemina etiam odiorum jacienda, ut ſæpè Principes Romani Armeniam ſpecie largitionis turbandis Barbarorum animis præbuerint, *l.12. Annal. cap.*48. Indè haud leve decus Druſus quæſivit illiciens Germanos ad diſcordias *lib.2. Annal. c.*62. ſicut & Cribulo ſemina Rebellionis præbet *l.*XI. *Annal. c.*19. Sed in quem finem? Ut ipſe eos ad deditionem pelliciat. Dura præcepta Taciti: ferè dicam, iniqua hæc: ideò diſſuadeo, nec approbo modum ſurgendi per alienas Injurias.

§. 4. Res internæ ſunt, quæ Rempublicam internè afficiunt, eæque ſunt vel Rempublicam moderantes, vel eam conſtituentes.

§. 5. Rerumpublicarum Statum moderantes ſunt Leges & Mores Majorum.

§. 6. Leges ſunt fulcra boni Statûs, quæ debent habere finem æqui Juris: debent eſſe in Republica paucæ: corruptiſſima enim in Republica plurimæ leges, *l.3. Ann. cap.*27.

cap. 27. ubi plurima de Legibus. Leges autem facit Princeps, quibus etiam ipſe adſtrictus eſſe debet: Servius Tullius Sanctor Legum fuit, quibus etiam Reges obtemperarent *l.* 3. *Annal. c.* 26. Dico, Principem etiam adſtrictum eſſe debere Legibus, etſi eas ipſe fecerit. Etenim dum Leges condit, condit eas vel ut moralitèr vel ut politicè bonas: utrôque caſu aſtringitur ad obſervantiam Legum, in illo ex bonitate morali, quam præcipuè Rex ſervare debet, exemplum omnis Honeſtatis & Æquitatis: in hoc propter Salutem Civium. Vix E. Princeps ſuperior lege ſanctâ, niſi Superioritatem expreſſam dixerit. Debent autem leges publicari: aliàs non ligant: & quidem in publico loco: Romæ fuit æs publicandis plebiſcitis per fora & templa fixum, *lib.* XI. *Annal. c.* 14. apud Nos etiam hic Mos retinetur; optimô modô. Fieri autem ſæpiſſimè ſolet, ut publicatæ eæ ferè ſint acribus initiis, ſed incurioſo fine *lib.* 6. *Ann. cap.* 7. Interim lex ſemper Domina eſſe debet, ut in cauſſis decidendis, *l.* 2. *Annal. c.* 51. ita etiam in delictis puniendis, judicante Cornelio Dolabella *l.* 3. *Annal. c.* 68. Conſtituitur autem Lex in facta, quia futura in incerto ſunt, *d. lib.* 3. *Annal. c.* 69. indè fit, ut Leges egregiæ, exempla honeſta apud bonos, ex delictis aliorum gignantur,

l. XV. *Ann. c.* 20. Cavendum autem circa Leges, nè illis fraus fiat, ut in Lege de Adoptionibus factum *lib.* 15. *Annal. cap.* 19. nè flectantur; Vix E. SCtum, quô Accuſatorum Cauſæ noſcebantur, ullius autoritatis *l.* 2. *hiſt. c,* 10. quia variè jactatum, & prout potens vel inops Reus incidit, infirmum aut validum retentum, omnibus debet lex eſſe æqua vel iniqua: alias lex nullius ponderis. Si E. lex non flectanda, multò minus mutanda, intellige ſine prægnanti cauſa: non enim vertenda ſapienter reperta, & ſemper placita, dicit Tiberius *l.* 3. *Ann. c.* 69. Mutatur autem, ubi Principi aſſurgit Reſpublica; quomodo victa lex de numerô liberorum in Candidatis; dum Senatus R. Filios Tiberii reſpicit *l.* 2. *Ann. c.* 51. Contra decus, contra fas & Leges. Imò Quinquenniô maturius, quàm per Leges licet, accipit Quæſturam Nero, Tiberiô poſtulante; *l.* 3. *Annal. cap.* 29. Contra Leges. Certè dum placere ſtudent Romani Senatores, Principi adulantur, amittunt autoritatem, amittunt Senatoriam Libertatem, quam anxiè tamen ſervari credit Thraſea *l.* 13. *Annal. cap.* 49.

§. 7. Mores Majorum quod attinet, quid ii ſint, notum eſt & JCtis & Ethicis: Dico ipſe, quod ſint actus laudabiles in Rempublicam, optimâ Ratione à Majoribus intro-

ducti.

ducti. Horum etiam cura ad Magiſtratum pertinet; Tiberius *l.* 2. *Annal.* *c.* 33. reſcribit, ſiquid in moribus labaret, non defuturum corrigendi Autorem. Sic *lib.* 3. *Ann.* *c.* 28. Cn. Pompejus corrigendis moribus delectus, qui tamen gravior remediis, quàm delicta erant. Servantur autem, ſi Princeps obſervans eorum. Veſpaſianus antiquo ipſe cultu & victu, adſtricti moris Autor fuit, *l.* 3. *Annal.* *c.* 55. Laudatur Nero etiam, qui in obſervando anno & tempore Relligionem veterem retinere maluit, atque cenſentibus Patribus, principium anni menſe Decembri inchoare, *l.* 13. *Ann.* *c.* 10. Tiberius etiam aureas literas, quibus Senatus conſulta figenda, contra patrium morem rejicit, *d. l.* 3. *Ann.* *c.* 59. Imò, ſi aboliti mores, repeti poſſunt, ſi non nocentes Statui. Sic repetitus ex vetuſto Mos, dum Ptolomæus Rex, Socius & Amicus Pop. Rom. nominatur, *l.* 4. *Annal.* *c.* 26. Mores tales inferior etiam Magiſtratus ſcire debet, ut proinde optimè Tiberius Tribunum increpet, ignarum moris antiqui, *l.* 6. *Ann.* *c.* 12. cumprimis Præfecti Militiæ; quomodo Corbulo veterem ad morem legiones feliciter reduxit, *l.* XI. *Annal.* *c.* 18. Præfecti Provinciæ: Vitellius regendis provinciis priſca Virtute egit, *d. lib.* 6. *Annal.* *cap.* 32. Neque Socius rem gratiorem facere poteſt

Socio, quàm ſi ejus Mores aſſumit. Hoc videns Tiridates, more Romanô dat Suo vetaurilia *l.* 6. *Annal. c.* 37. Imò arcanum Principis, Populi mores retinere. Facit hoc Germanicus, *l.* 2. *Annal. c.* 59. qui proindè multa in vulgus grata uſurpâſſe dicitur. Reprehenditur Pirahates, quod patriis moribus impar, *l.* 6. *Ann. c.* 32. laudatur Zeno, qui prima ab Infantia Inſtituta & cultum Armeniorum æmulatus venatu epulis, & quæ alia Barbari celebrant, Proceres Plebemque devinxerat, *l.* 2. *Annal. c.* 56. Atque ad hæc Inſtituta & cultum patrium reſumendum hortetur Tencterorum Legatus Agrippinenſes *l.* 4. *hiſtor. c.* 64. Veteres adeò Morum obſervantes fuiſſe ſcribit, *Id. l.* 3. *Annal. c.* 26. ut nihil contra mores cupiverint. Pulchrum, cum Miniſtri Statûs hos tuentur: Criſpus diverſus Veterum inſtitutô vix laudatur Tacito *l.* 3. *Annal. c.* x. cum per cultum & Munditias, copiâque, & affluentia luxu propior: ſecus Rubellius Plautus, qui ideò magnus Populo, quod placita Majorum coleret, habitu ſevero, & ſecretâ domô, *lib.* 14. *Annal. c.* 22. Indè Caſſius etiam ſuam morum antiquorum fidem teſtatur, *d. l.* 14. *c.* 43. præſertim ubi contra Inſtituta & Leges Majorum nova Senatûs decreta poſtulata. Neque Fœminas Matronas aliquid majus ornat. Julia

Augu-

Auguſta Sanctitate fuit priſcum ad morem *l.* 5. *Annal. c.* 1. Mater Vitelliorum Sextilia celebratur antiqui moris *l.* 2. *hiſtor. c.* 64. Præprimis autem Populus movetur, ubi mores antiqui mutantur; queritur ille *l.* 3. *Annal. c.* 5. cum Tiberius Germanici exequias minus ſolennes faceret; cuncta à majoribus reperta, aut quæ Poſteri invenerint, ab Auguſto cumulata in Druſi funere: at ubi illa Veterum Inſtituta? Ubi etiam ad morem Græci certaminis Quinquennale Iudicrum inſtitutum, plebs queritur abolitos paulatim patrios mores, *lib.* 14. *Annal. c.* 20. Mores igitur ſi ſervandi in Regum honore; quomodo Seleucenſes Tiridatem extollunt veterum Regum honoribus, & quos recens ætas largius invenit, *l.* 6. *Ann. c.* 42. In educatione Principis; quomodo Italus Armis Equiſque in patrium, noſtrumque (Romanum) morem exercitus, *lib.* XI. *Annal. cap.* 16. Romanorum enim moribus aſſuefactus Rex melior creditur Parthorum Legatis, *l.* 12. *Ann. c.* 10. In ſortitione. Utcunque enim acritèr diſputant *lib.* 8. *Hiſtor. c.* 7. Helvidius & Marcellus, an à Magiſtratibus juratis Legati nominatim eligendi vel urnâ ſortiendi; placuit tamen, retinere Morem. In Virtutibus: corruente enim apud Fidenam Theatrô, & plurimis Spectatorum vulneratis, patuêre

procerum domus, fomenta, & Medici præbiti: quomodo Urbem per illos dies, Veterum Inſtitutis ſimilem laudat Noſter *l.* 4. *Ann.* c. 63. Claudius reſpondet *l.* 12. *Ann. cap.* 20. Majoribus placitum quantâ pervicaciâ in Hoſtem, tantâ beneficentiâ adverſus ſupplices utendum. Quia in more publica Munificentia, non intermittit eam lepidus, *lib.* 3. *Annal. cap.* 72. Cæſar morem Majorum obſervat in dirimendis Amicitiis, ſcilicet ut interdicat domô, *l.* 6. *Ann. c.* 29. Sed num Mos Majorum in pœnis ſervandus? Certè Nero prohibet, nè per ſævitiam intendatur *l.* XIV. *Annal. c.* 45. Et quamvis Conſul deſignatus *d. lib.* 14. *Ann. c.* 48. Antiſtium ob carmina in Principem propreſſa more Majorum necandum cenſet, diſſentit tamen Pœtus optimè, cum pœna legibus conſtituta, quibus ſine Judicum ſævitiâ & temporum Infamiâ ſupplicium decerneretur. Quia Moribus Veterum inſolitum, Fœminam ſignis præſidére, ideò peſſimum, *l.* XII. *Annal. c.* 37. Sed num mutandi Mores antiqui? Vix videtur. Marcellus dicit *lib.* 4. *Hiſtor. cap.* 8. deſignatum Conſulem ſecundum vetera Exempla cenſuiſſe: & ubi nihil evenire, cur antiquitus Inſtituta exoleſcant? Ipſe meminit temporum, quibus natus, quam civitatis formam Patres Avique inſtituerint, ulteriora miratur,

tur, præſentia ſequitur, *lib.* 4. *Hiſtor. cap.* 8. Niſi nimis horridi : Benè enim Auguſtus quædam ex horrida antiquitate, ad præſentem Uſum flectat, *l.* 4. *Ann. c.* 16. Morem accommodari, prout conducat, inquit Vitellius *lib.* XII. *Annal. c.* 6. Multa duritiæ Veterum & lætius mutata diſſerit Val. Meſſalinus *l.* 3. *Ann. c.* 34.

§. 8. Poſt Res moderantes Statum addo conſtituentes, quæ vel Salutem omnium ſpectant, vel Mortem ſingulorum.

§. 9. Salutem omnium Res ſpectantes ſunt Res publicæ : Sed quæ dicantur verè tales, diſputat Bojocalus apud *Noſtr. l.* 13. *Annal. c.* 55. & Avitus : Ille dicit ; Sicut cœlum Diis, ita terras generi Mortalium datas : quæque vacuæ, eas publicas eſſe : At hic : Id Diis, quos implorarent, placitum, ut arbitrium penes Romanos maneret, quid darent, quid adimerent, neque alios Judices, quàm quod ſeipſos paterentur. Verùm, non adeò abſurdus Bojocalus, ubi Jus Naturæ reſpicit : quomodo autem lucem diemque omnibus Hominibus ; ita omnes terras fortibus Viris Natura aperuit, judicante Tencterorum Legato apud Concilium Agrippinenſium *l.* 4. *Hiſt. c.* 64. quod effatum ſibi dictum credit etiam Avitus, ubi Romanum Brachium objicit. Quando Friſii agros vacuos, & Militum uſui ſe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

poſitos inſident, Nero eos agris decedere jubet *l. dict.* 13. *Ann. c.* 54 ſed illis aſpernantibus, auxiliaris Eques repentè immiſſus neceſſitatem attulit, captis cæſiſvè, qui pervicacius reſtiterant. Hi mores Potentiorum: & ubi Gladius Iudex, ceſſant argumenta & Rationes Rerum. Cæterum, utut Vim Romanam Avitus Bojocalo monſtrat: jura tamen ipſum etiam tueri conſonum, cum prius Romani Terras illas ab Anſibariis occupatas poſſederint: quod enim vacuum eſt, id naturali ratione priori cedit occupanti. Et ſic Res vacuæ, ſecundum Bojocalum, non tàm publicæ, propriè ſic dictæ, quàm communes, *pr. Inſt. de acq. Rer. dom.* Res autem hæ publicæ vel conſtituunt in opibus acquirendis, & conſervandis: vel in aliis rebus benè ordinandis.

§. 10. Opes acquiruntur per Reditus; de quibus apud *Noſtr. l.* 13. *Annal. cap.* 50. Senatores prudentèr, quod omnia in Republica ita providenda, ut Ratio quæſtuum & Neceſſitas Erogationum inter ſe congruant. Ideò inſpectatur *l.* 15. *Ann. c.* 18. Nero priores Principes, quod gravitate ſumtuum juſtos reditûs anteiſſent, ſe annuum ſexcenties ſeſtertium Reipublicæ largiri: Falſa jactatio, cum contrarium videre licet *l.* 1. *Hiſtor. c.* 20. Ne igitur Princeps per nimias largitiones effundat ſumptûs, nè lace-

laceret Imperium, cum Vitelliô *l.* 3. *Hiſt.* *c.* 55. Quod ſi fit, juſtiſſimum videtur, inde repeti, ubi inopiæ cauſæ eſt. Quando enim Nero bis & vicies millies ſeſtertium donationibus effuderat, appellari ſingulos juſſerunt Senatores, decumâ parte liberalitatis apud quemque eorum relicta, *lib.* 1. *hiſtor.* *c.* 20. qui iidem, Imperium capeſſente Veſpaſianô, ſorte ducunt nonnullos *l.* 4. *Hiſt.* *cap.* 40. qui modum publicis Impenſis faciant. Augentur autem Reditus per Tributa. Sunt enim hæc ornamenta Pacis & Belli ſubſidia, *ſec. Cicer. pr.æ L. Manil. pr.* Et Petilius Cerialis apud *Tacit. lib.* 4. *Hiſtor.* *cap.* 74. dicit, quod. Quies Gentium non ſine armis, nec arma ſine Stipendiis, nec Stipendia ſine Tributis haberi queant. Tributum autem imponendum eſt modicum pro anguſtiâ Rerum & cujuſque cura intendenda, quæ firmitudo, quæ Menſura, *l.* 4. *Annal. c.* 72: Nec nimis acrius, quàm ut tolerent Populi *l.* 4. *Annal. c.* 45. nec nimis acerbè *lib.* 3. *hiſt. c.* 73. Nonnunquam tamen Subditis remittendum, vel quia illi novi; quemadmodum quædam ex regiis tributa deminuta Cappadocibus à Germanico, quò mitius Romanum Imperium ſperaretur, *l.* 2. *Annal. c.* 57. vel quia afflicti: ita Sardianis lue aſperrimâ correptis *lib.* 2. *Annal. c.* 49. ita Apamienſibus terræ

notu

motu convulſis in quinquennium *lib.* XII. *Annal. c.* 58. ità Civitati Cibyraticæ apud Aſiam, Ægirenſi apud Achaiam, motu terræ labefactis ſubvenit Tiberius remiſſione Tributi in Triennium, *lib.* 4. *Annal. c.* 13. Pertinent etiam ad Reditûs Vacantia, quæ velut Parens omnium Populus, tenere debet *lib.* 3. *Annal. c.* 28. & præprimis Vectigal. Ciceroni *orat. de L. Agrar. contra Rull.* dicitur Caput patrimonii publici, pulcherrima Populi Rom. Poſſeſſio, Subſidium Annonæ, horreum Belli; Nervus Reipublicæ, quô amiſsô & pacis ornamenta & belli ſubſidia fruſtrâ requiruntur, *orat. pro L. Manil.* Eam ob cauſam Neroni, cuncta Vectigalia, ceu pulcherrimum Generi Mortalium donum omittere volenti fortitèr contradicunt Senatores, docendo diſſolutionem Imperii, ſi fructus, quibus Reſpublica ſuſtineretur, diminuerentur: ſublatis enim portoriis ſequens, ut Tributorum abolitio expoſtularetur, *l.* 13. *Annal. c.* 50. Sunt autem Vectigalium, pro loci & temporis Ratione variæ ſpecies. Apud Noſtr. habemus centeſimæ Vectigal rerum venalium, *l.* 1. *Ann. cap.* 78. habemus Vectigal quintæ & viceſimæ venalium mancipiorum *l.* 13. *Annal. cap.* 31. Vectigal Quadrageſimæ & Quinquageſimæ, *l.* 13. *Annal. c.* 51. Vectigal Alabarchiæ, pro traductione Pecorum;

l uſur-

l. uſurpationem. 9. *C. de Vectigal. & Comm.* & exportandarum, vel importandarum Mercium; cujus vectigalis non parva functio eſt, *l. omnium.* 6. *C. eod.* quæ ad Publicanos pertinet, quorum cupidines temperandæ: ut videre, licet *lib.* 13. *Annal. c.* 51. Prout autem Vectigalia non niſi à Magiſtratu inſtituuntur; ita ab hôc præficiendæ Portoriis perſonæ: Nero tres Conſulares publicis præpoſuit Vectigalibus, *l* xv. *Ann. c.* 18. Sed perſonæ debent eſſe honeſtæ. Has enim Peſonas habet Cicero honeſtiſſimas & ornatiſſimas, *orat. pro L. Manil.* quibus ſi adverſatur Pop. Romanus, ordinem de Republica optimè meritum & cum Republica conjunctum à Republica disjungit *ep.* 1. *lib. ad Q. Fratr.* Publicanorum ordine Florem Equitum Romanorum, ornamentum Civitatis, firmamentum Reipublicæ contineri dicit *Id. orat. pro Cn. Planſ.* retineri enim ſine Vectigalibus Imperium non poteſt, *dict. loc.* Vectigalium E. potiſſima cura ſit Magiſtratui. Nam cæteris in rebus cum venit Calamitas, tùm detrimentum accipitur: at in vectigalibus non ſolùm Adventus mali, ſed etiam metus ipſe affert calamitatem; *Id. Cicer. orat. pro L. Manil.* Inter Reditûs numerantur etiam à Tacito pœnæ, quas ex L. Jul. Pap. Poppæâ augendo ærario ſanxit Auguſtus *lib.* 3.

Annal.

Annal. c. 25. & non immeritô etiam Theſauri inventi ſed nè quærat illos Magiſtratus, ubi tenuis fructus. Non opimæ Famæ erat Curtius Rufus *l.* XI. *Annal. c.* 20. quod in agro Mattiaco recluſerat ſpecus quærendis venis argenti : unde tenuis fructus, nec in longum fuit : at cæteris cum damno labor, & fodere vivos, quæque in aperto gravia, humum infra moliri. Si tamen deferuntur ii quærendi, certè Autoris, ipſiuſque Negotii fides benè ſpectanda, mittendique Viſores, per quos noſcat Imperans, an vera aſſerantur ; prout Tacitus noſter ſuadet *l.* XVI. *Annal. c.* 1. quando Nero, illuditur Fortunæ per vanitatem illius & promiſſa Ceſellii Baſſi. Et nè veteres opes conſumas, velim uſque dum novos & oblatos habes, cenſente Noſtro *d lib.* XVI. *Annal cap.* 2.

§. 11. Acquiſitæ opes conſervantur per Ærarium, Pertinet hujus cura ad Magiſtratum. Senior Auguſtus L. Pap. Poppæum in citandis Cœlibum pœnis & augendo ærario ſanxit, *l.* 3. *Annal. c.* 25. Prætoribus ærarii publicam paupertatem quæſtis & Modum Impenſis poſtulantibus, eam curam Conſul deſignatus ob Magnitudinem oneris, & Remedii difficultatem, Principi reſervat, qui, & Tertullinus Trib. Pl. expetit, *lib.* 4. *Histor. cap.* 9. Habetur autem ærarium ad retinendam Populi fidem : Colo-

niis

niis enim, Capuâ atque Nuceriâ firmatis, ſeſtertium quadringenties ærario illatum, ad retinendam Populi fidem, *l.* 13. *Annal. cap.* 31: Conſtituuntur autem à Magiſtratu ærarii Præfecti, de quibus multa *d. lib.* 13. *Annal. cap.* 29. qui poſteà Prætores ærarii apud Romanos vocati, *l.* 4. *Hiſt. cap.* 9. Hi ſi malè tractant pecuniam publicam, damnandi, exemplo P. Vitellii *l.* 5 *Annal. c.* 8. S. Marii *l.* 6. *Ann. c.* 19. Non autem Ærarium ambitione exhauriendum, nè per ſcelera ſit ſupplendum, *l.* 2. *Annal. c.* 38. Interim miſeris & afflictis; pecuniâ publicâ ſuccurrere, regium. Dura E. reſponſio Hortolo data, à Tiberio, *d. l.* 2. *Ann. c.* 38. cum tamen tribuerit pecunias ex modo detrimenti iis, qui convulſo apud Fidenam amphitheatro, damnum cæperunt, *lib.* 4. *Annal. c.* 63.

§. 12. Res cæteræ ſuccedunt, ſuntque illæ benè ordinandæ vel quoad Neceſſitatem, vel quoad Voluptatem.

§. 13. Quoad Neceſſitatem ſunt Ædificationes Urbium, quæ ſi fiunt dimenſis Vicorum ordinibus, & latis viarum ſpaciis, meliores, atque ſi domûs nullâ diſtinctione, nec paſſim erectæ. *l.* XV. *Annal. cap.* 43. In his autem ædificationibus Utilitatem publicam & Decorem ſpectare debemus, *d. cap.* 43. Illa haberi poteſt, præcipuè *ſec.*

Ariſtot.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

Ariſtot. 7. pol. 4. ſi ædificationes fiunt πρὸς τὴν θάλατταν; ſi ſtruuntur in loco παντοφόρῳ. πλήθει καὶ μεγέθει, ſi ſunt τοῖς πολεμίοις δυσέμβολοι, αὐτοῖς δ᾽ εὐέξοδοι; adde caput XI. ubi multa de Situ, Munitione & ornatu Urbis, quæ Tacitus videtur ſecutus, vel Nero in Tacito. Omnes autem ædes luxu vulgatæ inter Plebem vix ferendæ, niſi Procerum vel Regum in eo Ambitio, quæ tamen etiam debet eſſe temperata, Inanis E. labor Neronianæ Domûs *l. 15. Ann. c. 42.* Interim ea quæ ad decorem Urbis pertinent, non negligenda. Succedunt igitur, poſt ædificationes Urbium, Opera publica: qualia ſi quis velit ad ornatum Urbis & poſterum gloriam conferre, & propriâ pecuniâ firmare ornareque, haud denegandum cum Auguſto *lib. 3. Annal. c. 72.* In more enim optimô habetur publica munificentia: & qui hæc liberalitate, non neceſſitate debiti reditûs, facienda curat, munificentiæ ſuæ fructum de inſcriptione Nominis ſuis operibus, ſi qua fecerit, capere per invidiam non prohibetur, *l. qui liberalitate. 2. ff de operib. publ.* Vix E. Ædilium nomina ponenda, ubi ſumtibus opera ſtruuntur publicis, niſi Magiſtratus univerſus pro laboris præmiô conceſſerit. Si collapſa opera, certè ea reparanda, veluti Tiberius Pompeji theatrum igne fortuitô hauſtum extructu-

rum

rum ſe pollicitus *l.* 3. *Annal.* 72. Si moris pomærium Urbis ut augeat Cæſar, terminoſque Urbis propaget poſt prolatum Imperium, ut factum tempore Romanorum *l.* 12. *Annal. c.* 23. nec ille ſpernendus, cum Regum in eo juſta Ambitio vel Gloria variè vulgata. Tiberii actiones in ædificiorum & operum publicorum curâ videre licet *l.* 6. *Annal. c.* 45. ex quibus forſan quid alteri utile, quid glorioſum eſſe poſſit, concludi poteſt. Partes Civitatis Ariſtoteles 7. *pol.* 8. credit eſſe τροφὰς, τέχνας, ὅπλα, χρημάτων εὐπορίαν, ἱερατείαν, κρίσις περὶ τῶν συμφερόντων, καὶ δικαίων πρὸς ἀλλήλους: quas omnes ferè hactenus vidimus, præterquam quod reſtent Collegia, quæ ſi contra leges inſtituuntur, diſſolvenda, *l.* 14. *Ann. c.* 17. non niſi enim ea ex Magiſtratus autoritate inſtituenda, *l. collegia.* 3. §. 1. *ff. de colleg. & corporib.* quod ſuperſint Commercia: quorum cura maxima Magiſtratui eſſe debet. Jus etenim hoc Commercii auget Imperium & Subditis & opibus. Inter Marcomannos, Negociatores Romanos repertos ſcribit Noſter *lib.* 2. *Annal. c.* 62. quos Jus Commercii, deinde cupido augendi pecuniam, poſtremò oblivio Patriæ ſuis quemque ab ſedibus hoſtilem in agrum tranſtulit. Et quò locorum jam non Batavi? Commoda commerciorum revolvens Sue-

tonius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

tonius *lib.* 14. *Annal* *c.* 33. & quantum in bellis gerendis proſit Emporium, mirâ conſtantia medios inter Hoſtes Londinium perrexit, copiâ quia negociatorum & commeatuum maximè celebre: Quàm maximâ E. diligentiâ uti quærenda, ita etiam extruenda Emporia: quæſita verò & extructa una cum Negociatoribus defendere tenaciſſimè oportet Imperantem: inde propter cæſos Negociatores bellum à Romanis inceptum *lib.* 3. *Annal.* *c.* 42. Æquè etiam ii ægerrimè ferunt, ubi violati tantum, *lib.* 4. *Hiſtor.* *c.* 65. E re igitur fœdera commerciorum, cum vicinis præſertim, vel etiam cum aliis: Ideò Tuſcis & Carthaginenſibus fuere συνθῆκαι περὶ εἰσαγωγίμων. 3. *pol.* IX. Inde Agrippinenſes ad Tencteros *l.* 4. *Hiſt.* *c.* 65. Vectigal & onera Commerciorum reſolvimus. Sint tranſitus incuſtoditi, ſed diurni & inermes, arbitrum habebimus Civilem & Velledam, apud quos pacta ſancientur. Poſſunt E. Negociatores alieni tranſire etiam per noſtrum regnum, ſed die, ſed ſine armis: Imò Arbitri neceſſarii, ſi pacta commerciorum ſancienda: ſed ex voluntate paciſcentium. In tranſeundis autem Mercatoribus cavendum diligenter, nè aditus Portuſque nimis accuratè iis cognoſcendos permittamus; quod Agricola intendit *cap.* 24. in Britannia, à quibus etiam

vectigal

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

vectigal accipi poteſt pro tranſitu, quemadmodum pro Rheni tranſitu precium accipiebant Romani, *l.* 4. *Hiſtor. c.* 27. Quod caput autem, ſemper laborandum, ut Commercia maneant libera : vel etiam, ſi fieri poteſt, mediô bellô, ut *lib.* 2. *Hiſtor. cap.* 23. legimus, niſi propter Commercia bellum, vel in iis belli expenſæ : aliàs pactum hoc non adeò improbum. Superſunt tandem Coloniæ, quas Princeps conſtituit : quomodo, Puteoli Jus Coloniæ & cognomentum à Nerone adipiſcuntur, *lib.* 14. *Annal. cap.* 26. Ubi autem Princeps Colonias vult conſtituere, deducat univerſam Gentem cum ſuis familiis & Neceſſitudinibus : ſic enim conſenſu & caritate Rempublicam efficient. Quando enim Nero *l.* 14. *Ann. cap.* 27. non ut olim, univerſas legiones, cum Tribunis & Centurionibus, & ſuis cujuſque ordinis militibus deducit, ſed ignotos inter ſe, diverſis Manipulis, ſine Rectore, ſine affectibus mutuis, quaſi ex alio genere Mortalium repente in unum collecti, Numerus magis quàm Colonia. Deduci autem debent conjugiis ſuſcipiendis & alendis liberis ſueti *d. l.* 14. *Annal. c.* 27. in agros etiam captivos, ceu ſubſidium adverſus rebelles, & imbuendis ſociis ad officia Legum, *l.* 12. *Annal. c.* 32. in quibus actionibus prudentiſſimus Artifex Agricola habetur

betur *c.*21. *in Agric.* quem omninò lege & applica. Firmantur ita Coloniæ, ſi Veterani, ſi ad retinendam Populi fidem opes adduntur, ut in Coloniis Capua atque Nuceria, *l.* 13. *Annal.cap.*31. ſi miſcentur per matrimonia, alienigenæ cum Indigenis, exemplo Militum Romanorum *lib.* 2. *Hiſt. cap.* 80.

§. 14. Res quoad Voluptatem benè ordinandæ ſunt Ludi : indè quæritur, an in Republica tolerandi ? Graviter queritur Pop. Rom. *lib.*14. *Annal. c.* 20. ubi quinquennale ludicrum Romæ inſtitutum ; abolitos paulatim patrios mores, funditus everti per accitam laſciviam, ut, quod uſquam corrumpi aut corrumpere queat, in urbe viſatur, degeneretque ſtudiis externis Juventus, Gymnaſia ; & ocia, & turpes amores exercendo. Interim, ſi à Magiſtratu deſcernuntur in honorem Principis, ut *l.* 3. *Annal. c.*64. in memoriam Auguſti, *lib.* 1. *Ann. c.*33. non rejiciendi ; ut tamen ii privatorum ſumtibus peragantur, minimè permittendum cum Tiberio *lib.* 1. *Annal. cap.* 15. ſed ex ærariô pecunia decernenda. Aliàs contra Majeſtatem Imperatoriam. Si Populus tales voluptates quærit per Ludos, civile, indulgere cum Auguſto *lib.* 1. *Ann. cap.*54. ſi præprimis ex abundantia pecuniæ, vel municipali ambitione, non ex ſordida

merce

merce inſtituuntur *l.* IV. *Annal. c.* 62. Ubi tamen non minus tali largitione, quàm corripiendis pecuniis ſubjecti affliguntur, & Proceres, quæ libidine delinquunt, ambitu propugnant, juſtè prohibentur Spectacula Gladiatorum vel Ferarum *l.* 13. *Ann. c.* 31. ſin minus; ſpectacula talia per omnes annos celebranda, pecuniâ eorum, qui Quæſturam adipiſcerentur, cenſet P. Dolabella *l.* XI. *Annal. c.* 22. ſed ex voluntate, *l.* 13. *Annal. c.* 5. Breviter, ubi Spectacula, Oratorum, Militum, Vatum victorias & Virtutum præmia decent, ubi Incitamentum ingeniis afferunt, non grave ſtudiis his honeſtis & voluptatibus conceſſis aures impertire, *l.* 14. *Annal. c.* 21.

§. 15. Res mortem ſingulorum conſiderantes ſunt Pœnæ & Exequiæ: Illæ in Mortem nonnunquam afficiunt, hæ in Mortem affectum ſepeliunt.

§. 16. Sine diviſione Pœnarum hôc locô eas in Genere tantum pro Ratione Statûs Conſidero. Nonnunquam autem hæ magis bonô exemplô infliguntur, quàm conceſſo jure, *l.* 1. *Annal. c.* 38. Cæterum gradus illarum prudenter exponit Seneca *l.* 1. *d.* Irâ *c.* 5. dicens: Legum Præſidem civitatiſque Rectorem decet, quamdiu poteſt, verbis & his mollioribus, ingenia curare: tranſeat deinde ad triſtiorem orationem,

quà

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

quà moneat adhuc & exprobret : noviſſimè ad pœnas, & has adhuc leves & revocabiles decurrat : ultima ſupplicia ſceleribus ultimis ponat, ut nemo pereat, niſi quem perire etiam pereuntis interſit. Sint igitur pœnæ infligendæ juſtæ, ut *l.* 13. *Annal. c.* 44. pœna talis in Octavio Sagitta Homicida : ſint ex utilitate publica, monente Noſtrô *l.* XV. *Annal. cap.* 44. nè ſint intempeſtivæ : Felix apud *Noſtr. l.* 12. *Annal. cap.* 54. intempeſtivis remediis delicta accendit ; Infligantur autem moderatè, nè lenita, nevè aſperata crimina videantur, *lib.* 2. *Annal. cap.* 29. prout prudens moderatur pœnam Silani Tiberius *l.* 3. *Ann c.* 68. qui etiam, ut molliret invidiam, Serenum more majorum puniendum, intercedit, dum Ille quædam contumacius, quàm tutum apud aures ſuperbas & offenſioni proniores, addidit *l.* 4. *Ann. c.* 30. Infligantur ſecundum proportionem Geometricam ; vix E. pœna Cæciliani juſta, cum hic ſanctiſſimis Arruntii artibus dignitate Ultionis æquatur *lib.* 6. *Annal. c.* 7. Infligantur ad Exempla Majorum, ſi circumſtantiæ aliud nihil ſuadent magis ; prout decernit Tiberius in Varilia, *l.* 2. *Annal. c.* 50. & Albucillâ *l.* 6. *Annal. cap* 47. ſed ubi animus doloſus : inſidiæ in Rempublicam conſilia cædis adverſus Imperatorem puniantur, clamat Terentius *l.* 6.

Annal.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

*Annal.c.*8. qualis etiam in Muliere, in Matre, propter quem & illa punienda, *l.dict.*6. *Annal. cap.* 49. Mitigandæ tamen etiam pœnæ; vel ob memoriam Majorum; quomodo Marcellum majorum memoria & preces Cæſaris pœnæ magis, quàm Infamiæ exemere, *l.*14. *Annal. c.*40. & Plautio Laterano ob patrui egregium meritum mors remittitur *l.*xv. *Annal. c.* 38. vel quia ſponte fatetur crimen, cum Paconiano, *lib.* 6. *Annal. c.*3. & M. Terentio, *cap.*9. vel quia Vir dignationis præcipuæ, ut Silanus, *lib.*3. *Annal. c.*66. *&* *ſeqq.* vel quia coactus peccet, niſi ſint nimis magna delicta: ſponte enim tum an coactus peccet, nihil intereſt, præcipuè ſi Vir nullius notæ, Hiſtrio, *l.* xi. *Annal. cap.* 36. vel quia alicujus meriti, ut Filius Piſonis *l.* 3. *Annal. c.* 16. vel quia in gratia Principis; cujus gratiæ & precibus nihil non concedendum, *d.l.* 14. *Ann.c.* 40. & *l.* 13. *Annal. c.*22. exemplum in Paride: ſed probè videat, nè ſanguinem Nocentium in ſuum derivet caput Princeps, nè Gratiam prodeſſe velit regiam ingentibus flagitiis. Ut mitigandæ nonnunquam pœnæ: ita raró extendendæ; cenſente etiam Tiberiô in Piſonis Filiô *l.* 3. *Annal.c.* 17. Durum E. cum in reliquos Sejani liberos advertitur, *lib.* 5. *Annal. c.* 8. & cum Puella à Carnifice laqueum juxta compreſſa, obliſis faucibus in

Gemonias abjicitur. Inhumanum Supplicium. Sed num ob unum cæſum, licet is Dominus, quadringenti cædendi? Ita factitatum legimus, *lib.* 14. *Annal. c.* 42. Et quanquam lex talis ſancta, *l.* 13. *Ann. c.* 52. vix tamen tàm amplè interpretanda, præſertim in pœnalibus. Princeps autem tandem nè ſpectet ſupplicia. Nero, licet Tyrannus, tamen his ſubtraxit oculos, & juſſit ſcelera, non ſpectavit: præcipua ſub Domitiano miſeriarum pars erat, videre & aſpici *cap.* 45 *in Agric.* Princeps n. irritatus ſuppliciis, crudelior habetur, exemplo Tiberii *lib.* 6. *Annal. c.* 19.

§. 17. In Mortem ſive honeſtam, ſivè violentam affecti ſepeliri debent; inde Exequiæ celebrantur, ſortis humanæ commercium, *l.* 6. *Annal. c.* 19. Sed num etiam damnatis? Negari videtur *l.* VI. *Ann. c.* 29. dum eæ tantum iis, qui de ſe ſtatuerunt, conceſſæ: verum, ſi petitæ & permiſſæ, non denegandæ humationes ſecund. JCtum, *l.* 1. *ff. de cadaver. punit.* ſi vir fuit præcipuus, ut Gallus Aſinius *l.* 6. *Ann. c.* 23. Hæ autem exequiæ ignominiores paululum & minus ſolennes; dantur autem etiam ſolennes Nobilium, ut Juniæ *l.* 3. *Ann. c. ult.* cujus funus laudatione pro roſtris, cæteriſque ſolennibus per viginti clariſſimarum Familiarum Imaginibus antelatis cohoneſtatum:

ſtatum : ut L. Antonii, cujus ſupremis habitus honor, ut oſſa per decretum Senatûs tumulo octaviorum illata, *l.*4. *Ann. c.*44. Juliæ *lib.*5. *Annal. cap.*1. & 2. cujus Funus etſi modicum, laudata tamen pro roſtris à C. Cæſare Pronepote Piſonis, qui publicô funere ex decreto Senatus celebratus, *l.*6. *Annal. c.* 11. Solennia regalium exequiarum in Auguſto videre licet, *l.*1. *Ann. cap.*8. & 11. cui templum & cœleſtes Religiones decernuntur; ut & in Claudio *l.*12. *cap. ult.* cui etiam cœleſtes honores decernuntur, funus cenſorium, Conſecratio, Laudatio, *l.*13. *Annal. c.*3. in Poppæa, cujus corpus, regum externorum conſuetudine, differtum Doribus, poſtquam ductæ publicæ exequiæ, tumulo Juliorum infertur, & laudatur à Marito ipſo. Benè autem Princeps etiam, ubi commodum eſt, it exequias mortuis Proceribus. Rex quidem Galliarum tales exequias non it, ſed ſpectat, Tiberiuſque publicô abſtinet *l.*3. *Ann. c.*3. inferius Majeſtate ratus, ſi palàm lamentaretur: Verum inter Gallos mos hic regius: hic aliam habebat cauſam, dicente Noſtro nè omnium oculis vultum ejus ſcrutantibus falſus intelligeretur; dolo enim Tiberii peremtus credebatur Germanicus. Tantum etiam quoad Res civiles?

III. *Ratione Actionum Civilium.*

1. *Actionum civilium Diviſio.*
2. *In regno inchoato qualem reſpectum habere debeat Princeps.*
3. *Reſpectu Principis varia dantur monita & præcepta: ut & reſpectu aliorum, Exterorum, Populi, Militum.*
4. *Fundatum Regnum quales per Virtutes, & quomodo regatur.*
5. *Regnum turbatum datur, & quæ circa id obſervandæ Regulæ.*

§. 1. SUperſunt actiones, quales vel ſunt in regno inchoato, vel fundato, vel turbato.

§. 2. In Regno inchoato reſpectum habere debet Princeps vel ſui ipſius, vel Aliorum.

§. 3. Reſpectu ſuipſius vitet magna & odioſa nomina, quomodo Nomen Patris Patriæ rejicit callidus Tiberius *l.* 1. *Annal. cap.* 72. qui & illos acerbè increpuit, qui divinas occupationes, ipſumque Dominum dixerunt, *l.* 2. *Annal. c.* 87. Ita Maroboduus, cum Regis Nomen ſumſit, inviſus factus, *d. l.* 2. *Annal. c.* 44. Secus Auguſtus fecit, qui principio regiminis ſolô Tribuniciô jure contentus *l.* 1. *Ann. c.* 2. Satis prudenter, ut videre licet *l.* 3. *Ann. c.* 56. Interim

terim paulatim inſurgens munia Senatûs, Magiſtratuum, Legum in ſe trahat, *d. lib.* 1. *Ann. c.* 2. ut & poteſtatem, honores, Nobilitatem, Militiam dandi, cum Tiberio *lib.* 4. *Annal. c.* 6. præcipuos vel ditet, vel removeat, *lib.* 1. *Ann. c.* 2. cum Auguſto & *lib.* 1. *Hiſt.* 71. cum Othone: Clientes ſuos ornet honoribus vel provinciis, *l.* 3 *Ann. c.* 2. Quæ vult, nolle ſe ſimulet; veluti Auguſtus omnia ſpecie recuſantis flagrantiſſimè cupit: Tiberius denegat regnum, quod tamen appetit *l.* 1. *Annal. c.* 11. *&* 13. Popularia omnia affectet, & Clementiam exerceat; prout *cap. ſeq.* de ratione Statûs in regno inchoato §. x. plura dixi, & plurima legere poſſumus *l.* 1. *Annal. c.* 1. *& ſeqq.* ubi Auguſti actiones accuratè deſcribuntur & à Politico notantur.

§. 4. Reſpectu aliorum conſideratæ Principis actiones ſunt vel quoad Senatum & Proceres; quos Tiberius largitionibus & precibus exolvit ſordidis priuſquàm aliquid facit, *lib.* 1. *Annal. c.* 15. & tunc cuncta per Conſules incipit, tanquam vetere Republicâ & ambiguus imperandi: omnia tanquam adepto Principatu facit, ſed nuſquam cunctabundus, niſi cum in Senatu loquitur *l.* 1. *Annal. c.* 7. Ita Nero etiam hos mores induit *l.* 13. *Annal. c.* 4. Quoad Exteros Modeſtia Auguſti commendatur *l.* 1. *Ann. c.* 9.

quoad Populum cura Annonæ, *d. l.* 1. *Ann. cap.* 2. cui interim tamen, etſi quædam Studiis tribuum facta, Jus ademtum, quale queruntur inani rumore *l.* 1. *Annal. c.* 15. quoad Milites, hos ſibi donis devinciat, *l.* 1. *Annal. c.* 2. neque alteri concedat hanc poteſtatem, monente Tiberio, *l.* 3. *Ann. c.* 6. Ita Nero, licet omnia permittat Patribus *l.* 12. *Annal. c.* 4. tamen ſe mandatis exercitibus conſulturum profitetur, Ubi hanc poteſtatem adeptus, Amicos Duces præficiat cum Agrippina, *l.* 12. *Ann. c.* 42. &, ſi alii inter Milites accepti, removeat. Angitur Tiberius, quod largiendis pecuniis & miſſione feſtinata favorem militum quæſiverit Germanicus *lib* 1. *Annal. c.* 52. ideò eum ſubdolè ſuetis legionibus abſtrahit, *l.* 2. *Annal. c.* 5. *&* 26. & ſpecie honoris amolitur, *d. l.* 2. *Ann. c.* 42. Ita Agricola à Domitiano, *c.* 39. *in Agric.* Corbulo à Claudio revocatus, *l* XI. *Annal. c.* 20. Uſque adeò in quem ſtudia Militum inclinant, retrahendus ille, præprimis, ſi æmulationis ſuſpectus, qualem per nomen Obſidum amovet Vologeſes *l.* 13. *Annal. c.* 9. Intereà retractus promiſſis novis detinendus: Syria quidem P. Antejo deſtinata, ſed, variis mox artibus eluditur, *l.* 13. *Ann. c.* 22. & tandem Syriæ adminiſtrandæ imagine Ælius Lamia exolvitur, *lib.* 6. *Annal, c.* 27.

cui

cui tamen non permiſſa Provincia Dignationem addidit, & Blæſo negatus honor gloriam intendit, *l.* 4. *Annal. c.* 26. Si tamen fieri poteſt, ex ra Ordinem honores promittat, quod Claudius facit, *l.* 13. *Ann. c.* 29. Satis civilia omnia, quæ habet Noſter; circa quæ Judicium meum ſuſpendo, & Tibi ſaltem ea narro, explico, penſitanda relinquo

§. 4. Fundatum Regnum regitur vel per Virtutes, vel per Species virtutibus ſimiles, *l* 15. *Annal. c* 48. Si enim Imperans, cum Corbulone etiam ſpecie inanium validus, & per hæc moderatur Populo, inanem etiam cum Valente, *l.* 2. *Hiſt. c.* 30. apiſcitur Favorem. Benignitas animi, Vigor ætatis, Proceritas corporis Studia vulgi alliciunt, & Regimen, ſi non ſolidant, provehunt tamen obliquô velô. Quod Virtutes concernit; eſt inter has Temperantia. Luxus E. veſtium & Conviviorum exterminandus è Republica, pro quo diſſerit Gallus Aſinius *l.* 2. *Ann. c.* 33. ſed Tiberius *l.* 3. *Ann. c.* 52. illum reprehendit, Tacitus deplorat, cum navibus & caribus vita Populi committitur *l.* 12. *Annal. c.* 43. Africam & Ægyptum propter commeatûs exercendo. Ubi autem luxus exterminandus, penſitator ſit Magiſtratus, an coërceri poſſit, & an coërcitio plus damni in Rempublicam latura, quàm inde-

indecorum adtrectare, quod non obtineretur, vel retentum, ignominiam illuſtrium Virorum poſceret, *d. lib.* 3. *Annal. cap.* 52. Aliàs Imperantes Pudor, Pauperes, Neceſſitas, divites ſatias in melius mutabit. Videtur autem optimus modus luxum coërcendi; vel ſi magnîtudo formæ & luxûs, ſi non exitio, caro tamen precio: vel ſi novi homines aut jejuni ad honores leguntur Senatûs, qui ſic domeſticam parſimoniam inferunt: vel ſi Autor aſtricti Moris Magiſtratus: obſequium inde in eum & æmulandi amor validior, quàm pœna ex Legibus & Metus: vel ſi lex ſumtuaria cum plenô effectu ſancitur: Miſerum, ubi Ædiles differunt, ſperni ſumtuariam Legem, vetitaque Utenſilium precia augeri indies: nec mediocribus remediis ſiſti poſſe, *lib.* 3. *Annal. c.* 52. niſi fortè rebus cunctis ineſt quidam velut Orbis, ut quemadmodum temporum vices, ita merum vertantur, notantèr *Tacitus l.* 3. *Annal. cap.* 55. Mutantur cum Temporibus Formæ. Ad Temperantiam etiam pertinet coërcitio libidinum fœminearum: improbo E. morem Romanorum *l.* 2. *Annal. c.* 85. qui Meretrices admisêre, cum ſatis pœnarum in ipſa profeſſione flagitii crediderint: improbo Lupanaria & Diverticula, quæ veſte ſervili Nero *lib.* 13. *Annal. cap.* 25. pererravit. Si præſertim in multo-

multorum honeſtorum Virorum prædiis exercentur, ut loquitur *l.* 27. §. *ff. de heredit. petit.* Poſt Temperantiam Liberalitatem addo, quæ exercenda à Principe per honeſta, præeunte Tiberiô *l.* 1. *Ann. c.* 75. ubi etiam honeſta Innocentium paupertas *l.* 2. *Annal. cap.* 48. Imò licet divites, licet generoſæ Stirpis Homines, ubi Principem adeunt, comitèr excipiendi & liberalitate regali augendi, faciente Tiberio *l.* 3. *Ann. c.* 8. maximè afflicti, qui refovendi, autore Tiberio *l.* 2. *Annal. c.* 47. quos ſi ſine ambitione aut proximorum precibus juvat, fama in Populum, *l.* 4. *Annal. c.* 64. Neque contra Rationem Statûs Penſionem annuam dare, cum habeamus præeuntem Neronem *l.* 13. *Ann. c.* 34. vel ut honor nobilis Familiæ augeatur, vel ut accipiens obligetur: Per luxum avitas opes diſſipanti vix ſuccurrendum, licet Nero faciat *d. c.* 34. Ipſe autem Princeps nè ſit avarus; quomodo adverſus pecuniam Tiberius ſatis firmus laudatur *l.* 3. *Annal. c.* 14. Magnifica hujus largitio in publicum, & circa hanc ſuetæ actiones *l.* 2. *Annal. c.* 48. habentur, non ſine Imitamine glorioſo uniuſcujuſque Imperantis. Parcus tamen ſit in honoribus conferendis: pervulgatis triumphi inſignibus nullum ex eo decus, dicente Noſtro *l.* 13. *Annal, c.* 53. Et olim cum Romana

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

civitas Exteris donaretur, rarum fuit, nec niſi Virtuti precium *l.* 3. *Annal. c.* 40. Si quis tamen honorem promeruit, non deneget: cum etiam denegatus honor ſplendidior, *l.* 3. *Annal. c. ult.* Ita Galliæ Narbonenſi ob egregiam in Patres Reverentiam certa privilegia data *lib.* 12. *Annal. cap.* 23. Moris etiam, exteros Legatos honoribus afficere; qui nec hodiè intermittitur, & à Nerone obſervatus legitur *lib.* 13. *Annal. cap.* 54. Succedit Clementia, quam nimis amplam conteſtatur Germanicus Piſoni *l.* 2. *Annal. c.* 55. ſecus Bardanes, qui quia ferocior, ideò ſubjectis intolerantior, *lib.* 12. *Annal. c.* 20. Conſiſtit ea etiam in eo, ut ne Princeps Populi oculis ſe ſubtrahat. Licet enim Velleda *l.* 4. *Hiſt. cap.* 65. aſpectu arceretur, quò venerationis plus ineſſet; & Majeſtas ſæpius ſpectata vileſcere credatur multis: vix Ego credo, cum Amor Populi, quem aucupari debet Princeps, ex Viſu, ex Radiis oculorum regalium. Ipſe DEUS habet πανδερκὲς ὄρημα. Juſtitia ſuadet Principi, nè ipſe lædat Subditos; indè adverſus Neronem ſeditio, contumelias ultum volens *l.* 15. *Annal. c.* 49. ut capiat partes nocentes & puniat: Ubi nihil intereſt dolô bonô per Miniſtros id fiat, an vi publicâ, ſi modò hanc Ratio ſtatus permittit. Quomodo Agrippa captus, docet *lib.* 12. *Annal. cap.* 39.

*cap.*39. quomodo Rheſcuporis, *d.l.*2.*Ann.*
*c.*66. Ne munimenta ſtruat in alieno ſolo,
niſi hoc jure belli occupatum : ubi tamen
vix etiam conſultum. Templum Claudio
ſacrum inter Trinobantes quaſi Arx æternæ
Dominationis aſpicitur : ideò tumultuan-
tur *l.*14. *Annal. c.*31. Neque ipſe Rex Jus
muniendi per avaritiam temporum vendat
cum Claudio *l.*5. *Hiſtor. c.*12. ſi poteſt eſſe
pervicaciſſimorum Refugium : Indè ne juſ-
ſa exuant. Cives ſeditioſi, permiſsô Jure
muniendi, præſidium immuniat cum Cor-
bulone, *l.*xi. *Annal. c.*19. Sed Juſtitia ci-
vilis num attendit Præſcriptionem ? Scili-
cet Nero uſurpata concedit proximo cui-
que Poſſeſſori, diutinâ licentiâ & Injuriâ,
quaſi jure & æquo nitenti, *lib.*14. *Annal.*
*c.*18. optimè, ob litem terminandam & bea-
tam poſſeſſionis cauſſam. Tandem Veritas
addenda, quæ viſu & morâ, falſa autem fe-
ſtinatione & incertis valeſcunt, *l.*2. *Annal.*
*cap.*39. tempore autem & ſpatio vaneſcunt,
d. l. 2. *cap.*82. optimum E. Eſt rumoribus
relinquere tempus, quò ſeneſcant, ſi inno-
centes abolendis iis impares, *d. l.*2. *Annal.*
*c.*77. Tiberius immotus adverſus eos ce-
lebratur, *l.*1. *Ann. c.*47. & ſpernendis ru-
moribus validus, *l.* 2. *Annal, c.*10. niſi ſint
ſiniſtri de Principe, qui coërcendi, *l.*1.*Ann.*
*cap.*74. Dum Populus in theatrô licentius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

efflagitat, quàm ſolitum adverſus Imperatorem, caſtigatur priſcâ ſeveritate per compoſitum SCtum, *l.*6. *Ann.c.*13. Sed quid de Facetiis; num eæ licitæ? Certè ludibria quidem ſeriis permiſcere cum Tiberio *l.* 6. *Annal.c.* 2. quandoque licet, ſed cave, ſis dicax, & in Principem acerbis facetiis irrideas: harum enim apud præpotentes in longum memoria dicitur, *l.* 5. *Ann. cap.*2. quæ etiam, ubi multum ex vero trahunt, acrem ſui memoriam relinquunt, *lib.*15. *Ann. c.*68. Sales probantur, ſed cum Sale. Pertinet ad Veritatem, facti promiſſio: inde quæritur, num, quod tumultuantibus promiſſum, ſit ſervandum? Quod facit Tiberius *lib.* 1. *Annal. c.*36. idque Jure meritô. Omne enim promiſſum, quale quale, cadit in debitum, & quia hic metus majoris periculi, ideò vitandus: Plura de his §. ſequent. ubi de Seditionibus. Cæterum quod tali in tumultu receptum, extraordinarium eſt: ut proinde proximæ ſeditionis malè conſulta, *l.* 1. *Annal c.*36. quibus ſexdecim ſtipendiorum finem, expreſſerant, abolita in poſterum, optimè. Denique veritatis, cui adulatio officit, per probra ſaltem gnarus fieri ingratum Principi, quod ex Votieni pœnâ *l.*4. *Ann. c.* 42. colligitur, etſi velle ſimulet *l.* 6. *Ann. c.*38. Nec proſunt blanditiæ, peſſimum veri affectus Venenum: & aſſen-

aſſentatio, quæ ſine affectu adverſus quemcunque Principem peragitur, dicente Galba *l.* 1. *Hiſtor. c.* 15. In utroque caſu Veritas titubat: Ideò melior via ad indagandam vel propagandam eam quærenda. Nec ea ex longinquo certa; cum ea ſoleat vel in deterius creſcere *lib.* 2. *Annal. cap.* 82. vel in majus *l.* 4. *Annal. c.* 23. cujus intelligens ſatis Corbulo *l.* 13. *Ann. c.* 8. qui ideò bellum urget. Præſtat autem in genere ſub fide & ſilentiô Veritatem habere, atque plenô ore dilatare in omnes ſubditorum animos: Reſpublica enim Taciti, tacita volvit conſilia & Veritatem ſub involucris habet, non explicat, niſi celeri motu, & prævisa feſtinatione.

§. 5. Regnum turbatum habetur per Seditionem, quæ ferè denunciatur per prodigia, imminentium quæ malorum Nuncia *l.* 15. *Annal. c.* 47. mutationem rerum in deterius portendunt, *l.* 12. *Ann. c.* 64. & 43. inter quæ etiam habetur Cornetes, *lib.* 14. *Annal. c.* 22. Cauſa autem præcipua, Tacito DEûM *l.* 4. *Annal. c.* 1. nobis, Dei Ira. Secundæ cauſæ ſunt Superbia, Odium Accolarum, domeſticæ Diſcordiæ *l.* 12. *Ann. cap.* 29. aliæ. Atque exacerbatis Seditioſorum animis, plerumque illi, ſi deſperant ſalutem, cum Icenis *l.* 12. *Annal. c.* 31. conſcientia Rebellionis multa & clara facinora

faciunt;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

faciunt: quomodo etiam Britanni arma tenent *in Agric. cap.* 16. conſcientia defectionis. Vel igitur, ubi innoteſcit Seditio, diſſimulanda: veluti Agricola Succeſſor & Ultor tumultuantis Legionis *cap.* 7. electus rariſſimâ moderatione maluit videri inveniſſe bonos, quàm feciſſe: vel citò huic reſiſtendum: Nihil enim in diſcordiis civilibus feſtinatione tutius, ubi factô magis quàm conſultô opus eſt, *lib.* 1. *Hiſtor. c.* 62. ita ut primores tollantur, quomodo Antiochus, poſtquam Barbarorum copias diſſociâſſet, Treſoborem paucoſque primores tumultuantes interfecit, cæteros, clementiâ compoſuit, blandimentis adverſus plebem, fraude in Ducem civilitèr uſus *l.* 12. *Annal. cap.* 55. vel reliqui clementiâ aut per precium demulceantur *l.* 1. *hiſt. c.* 18. Non autem neceſſarium, ut ipſe Imperator ſemper præſens ſit, ſi poteſt ea per Legatos componi, eorumque fide & virtute tolli: non enim decorum Principibus, vel ſe vel Rempublicam ſic in diſcrimen dare, aliudque majus requirit Imperii magnitudo, dicente Tiberiô *l.* 3. *Annal. c.* 47. & monente eôdem *l.* 1. *Annal. c.* 47. Alias ubi civilia arma, deforme gladiatorum auxilium etjam ſeveris Ducibus uſurpatum, *l.* 2. *hiſtor. cap.* 11. & quandoque Comes licet eſſe rebellium, quò plus auctoritatis inſit conſiliis,

liis, ubi Seditio miteſcit; quod Spurinna facit *l.2.hiſt. c.*18. Solet autem plerumque fieri in Seditione, ut in re turbida, ut omnes præcipiant, nemo exequatur, *l.3.hiſt.c.*73. ideò ſemper ille laudatus, qui tumultuantium animos compeſcuit dignô temperamento. Converſis autem ad civile bellum animis externa ſine curâ habentur, *lib.* 1. *hiſt. c.*79. & cave, quiſquis es Incolarum, publica hæc mala vertas ad occaſionem privati odii, *l.*15. *Annal. c.*73. Nefas, & tibi aliquando nociturum hoc tentamentum crede.

CAPUT IX.

De Formâ Status: ſive de Ratione.

NOTÆ.

1. *Ratio num Forma Status?*
2. *Diſputant de Ratione Status quid ſit, multi.*
3. *Ratio quid? & quomodo aliàs Ratio Status vocetur.*
4. *Ratio Status quoad Nomen & Rem in Tacito.*
5. *Dividitur Ratio Status.*
6. *Rationis Statûs Definitio.*
7. *Examinatur, num Ratio Status ſit Prudentiæ.*

8. *Ratio*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

8. *Ratio Status attendit Rempublicam.*
9. *Ratio Status in Temperamento Reipublicæ conſiſtit.*
10. *Temperamentum hoc debet eſſe civile : & quid civilitèr temperare Rempublicam apud Politicos, & præprimis apud Tacitum.*
11. *Ratio Status quotuplex ratione Rerumpublicarum.*
12. *Cauſæ Rationis Status vel generales cum Statu ipſo, vel ſpeciales, & Quæ?*
13. *Rationem Status facit Locus.*
14. *Populus.*
15. *Tempus.*

§. 1. QUid ſit Status, ſatis ſuperque ſupra explicavimus: ſupereſt adhuc forma Status, nempè quomodo ille formandus. Formam autem dedimus Rationem: hæc enim facit, ut ſit Status, & quod eſt Status, per hanc eſt.

§. 2. Quid autem ſit Ratio Status, diſputant variis argumentis Politici. Satis prolixus eſt in enarrandis Definitionibus Rationis Statûs Hippolithus à Lapide, *ſect.* 2. quò Lectorem remitto; nos primò Verba ipſa, poſt rem contemplabimur.

§. 3. Intelleximus abunde Statum in antecedentibus Capitibus, ſequens, ut penſitemus Rationem. Cicero *lib.* 2. *Tuſcul. quæſt.* Ratio eſt Domina & Regina omnium, quæ con-

connexa per ſe & progreſſa longius fit Virtus, imperans parti animi, quæ obedire debet, ut Servo Dominus, Imperator Militi, Parens Filio; Lux & Lumen Vitæ, *lib.* 4. *Acad. quæſtion.* Motus celer Cogitationis, acumen, ſolertia, quam Rationem vocamus, *l.* 3. *de Natur.* Deorum, quæ cum adoleſcit, Sapientia eſt, *lib.* 1. *de LL.* Ea ſumma Ratio eſt & Sapientia bonis civis, commoda civium defendere, non divellere, atq; omnes eadem æquitate continere: *Cicer. lib.* 2. *Officior.* Sic lætiorem refert Tiberium *Tacit. lib.* 2. *c.* 64. quia pacem Sapientia firmaverat. Ita *lib.* 2. *hiſt. c.* 25. Paulinus deſcribitur cunctator Naturâ, & cui cauta potius conſilia cum Ratione, quàm proſpera ex caſu placuerunt. Et quanquam Ratio etiam Modum denotet, ut videre licet *lib.* 3. *Ann. c.* 21. & *lib.* 1. *c.* 6. hic tamen pro Prudentia ſumi, quis non videt? Quæ enim Ratio & Conſilium, Artes ſunt Ducis propriæ, inquit Antonius, *lib.* 3. *Hiſt. cap.* 20. ea etiam eſt Statûs ſeu Reipublicæ qualificatæ. Vocatur Ratio Rerum, *lib.* 1. *Hiſt. c.* 83. Virtus, Senecæ *epiſt.* 74. Modò latius Virtus funditur. Regna, Urbes, Provincias temperat, fert leges, colit Amicitias, inter propinquos liberoſque diſponit Officia. Dicitur Sapientia Tacito *lib.* 1. *Annal. c.* 28. Ubi rebelles Milites, langueſcente Lunâ perculſi:

eâ inclinatione utendum Cæſari ratus, &, quæ Caſus obtuleret, in Sapientiam vertenda: quæ Sapientia prævîſa, Germanicus diſſerit, *lib.* 2. *Annal. c.* 14. Motum Orientem non niſi Germanici Sapientiâ componi poſſe, ſubdolè docet Tiberius *d. l.* 2. *Ann. c.* 43. & *c.* 64. Sic dicitur, quod Sapientibus quietis & Reipublicæ cura, *lib.* 1. *hiſt. c.* 88. Ita Prudentes in Concreto Sapientes & callidi temporum vocantur, *lib.* 4. *Annal. c.* 33. Quæ Vitellius beneficia dabat immodica, ea Sapientes caſſa habeant. *l.* 3. *hiſt. c.* 55.

§. 4. Diximus ſupra *cap.* 1. §. 5. Rationem Status jam tùm Ariſtoteli notam fuiſſe: ipſa verba Latina in Tacito fundata, & ex hoc Rationem Status erutam credo & comprobo. Ita *lib.* 1. *Hiſtor. c.* 4. notanter: Cæterùm antequam deſtinata componam, repetendum videtur, qualis Status Urbis, quæ Mens Exercituum, quis habitus Provinciarum, quid in toto terrarum orbe validum, quid ægrum fuerit, ut non modò Caſus Eventuſque Rerum, qui plerumque fortuiti ſunt, ſed Ratio etiam, cauſæque noſcantur. Eidem etiam dicitur in Statu militari Ratio belli, *lib.* 3. *Hiſt. c.* 51.

§. 5. Videtur autem Rationem Status aliam eſſe corruptam, aliam rectam. Ita eſt eorum, qui non obſervatâ Juſtitiâ, cæteriſque Virtutibus Politicis omnia pro Domina-

minatione & augenda per fas & nefas potentiâ, moliuntur; de quâ dixi *cap*. 5. § 6. Vera autem Ratio Status eſt, quæ illeſa Pietate & Juſtitiâ, ſecundum Prudentiam civilem, Rempublicam moderatur, qualem Saniores Politici obſervant.

§. 6. Talem igitur ex Taciti §. 4. adductis verbis facio Definitionem Rationis Statûs: Ratio Status eſt Prudentia Rempublicam civilitèr temperandi.

§. 7. Placet Definitionem examinare. Dicimus Rationem Status eſſe Prudentiam. Ratio eſt Arbitra bonorum & malorum, ut Seneca ſcribit, *epiſt*. 66. *med*. Prudentia etjam eſt Cognitio eorum, quæ Homini, quæ Reipublicæ obvenire poſſunt bona & mala, ut patet ex Ethicis. Errant proinde, qui vel per Jûs Dominationis, vel per extraordinarium Remedium, vel per certum quendam politicum Reſpectum ad Rempublicam Rationem Statûs definiunt. Jura Dominationis contra Jus commune aſſerunt multi; at Ratio Status non contra Jus commune, ſed tantùm in Ejus temperamento. Qui extraordinarium credunt Remedium, illi omnem Rempublicam extraordinariô modô regendam ſtatuunt; abſurdum. In ordinario etiam Modo Rempublicam regendi fundata Ratio Statûs: ſequeretur enim alias, ſine Prudentia & Ratione poſſe regi

ordi-

ordinariô modô Rempublicam. Iterum abſurdum. Qui certum Reſpectum ad Rempublicam dicunt, certæ Rei Rationem Status tantum attribuunt, quæ univerſæ Reipublicæ attribuenda. Nec reſpicit Ratio Status, ſed temperat Rempublicam. Prudentia format Reſpectum illum ad Rempublicam, an bonus vel malus, E. non eſt ipſa Ratio Statûs, quæ hunc Reſpectum dirigit: E. nec ejus Genus, quale ſub ſe hoc modo Rationem Status comprehendere nequit.

§. 8. Ratio hæc Status attendit Rempublicam principaliter; & non caſus quoſdam ſingulares tantùm incidentes, ob quos novum inchoandum Regimen, vel Imperii nova Diſpoſitio deliberanda. Tumultuantibus Exercitibus credit Tiberius periculoſam Severitatem, flagitioſam Largitionem, & ſeu nihil Militi, ſeu omnia concederentur, in ancipiti Rempublicam eſſe, *l.* 1. *Annal. c.*36. Ita *lib.* 4. *Annal. c.* 30. queritur Idem, in præcipiti Rempublicam eſſe, ſi præmia Accuſatoribus denegentur, quomodo & irritas Leges, credit Idem. Vide Rempublicam, quam pro Ratione Statûs tàm curiosè penſitat Tiberius. Circa caſus etiam pro tempore emergentes verſari, non negandum, de quibus dicturi §. XIV. Fit verò hoc per accidens, cum per ſe Reſpublica ſemper conſideranda.

§. 9. Con-

§. 9. Conſiſtit autem Ratio Statûs in Temperamentô Reipublicæ. Qui prudens eſt, & temperans eſt, *Senec. ep.* 85. E. Prudentia Temperantia. Moderationem & Sapientiam Man. Lepidi celebrat *Tacit. lib. 6. Annal. c.* 27. ut & Cerialis, cum ſalubri temperamento Domitianum, ut vana, (Imperium) pueriliter cupientem eludit, *lib.* 4. *hiſtor. c. ult.* Cum autem Aratori aliquod onus imponitur, non omnes, ſi quæ præterea Facultates, ſed Arationis ipſius Vis & Ratio conſideranda eſt, quid ea ſuſtinere, quid pati, quid efficere, poſſit ac debeat, *Cicer. lib.* 3. *in Verr.* Ita Ratio Statûs in Republica pro Temperamento. Non in Pertinacia, ſed in quadam Moderatione poſita eſt Ratio Status, *Cicer. orat. pro Cn. Planc.* Nunquam præſtantibus in Republica gubernanda Viris, inquit Idem *lib.* 1. *Epiſt.* 9. laudata eſt in una Sententia perpetua Manſio: ſed ut in navigando Tempeſtati obſequi Artis eſt, etiamſi portum tenere nequeas: cum verò id poſſis mutatâ velificatione aſſequi, ſtultum eſt, eum tenere cum periculô curſum, quem cæperim, potius quàm eô commutatô, quò velis tandem pervenire: ſic cum omnibus nobis in adminiſtranda Republica propoſitum eſſe debet. Et *orat. pro Cn. Planc.* Neque inconſtantis puto, ſententiam tanquam aliquod navigium ex Rei-

publicæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

publicæ Tempeſtate moderari. Ego verè hæc didici, hæc vidi, hæc ſcripta legi, hæc de ſapientiſſimis & clariſſimis Viris, & in hac Republica, & in aliis civitatibus monumenta nobis literæ prodiderunt, non ſemper eaſdem ſententias ab iiſdem, ſed quaſcunque Reipublicæ Status, Inclinatio Temporum Ratio Concordiæ poſtularet, eſſe defendendas; *Id. ibid.* Habis hic clariſſimè & Temperamentum & Moderamen Reipublicæ. Indè celebratur Tiberius apud *Noſtr. lib.* 3. *Ann.* 69. quod fuerit prudens moderandi: & cui nota Vulgi Natura, & quibus modis temperanter habenda, callidus temporum & Sapiens creditur, *l.* 4. *Ann. c.* 33. L. Piſo Pontifex nullius ſervilis ſententiæ Autor, & quoties Neceſſitas ingrueret, ſapienter moderans, commendatur eidem *l.* 6. *Annal. c.* 10. ut & *d. l.* VI. *Annal. & c.* 10. Pater Piſonis, cui præcipua ex eo gloria, quod Præfectus Urbi recens continuam Poteſtatem & inſolentiâ parendi graviorem mirè temperavit. Quando Idem *l.* 2. *Hiſtor. cap.* 5. Veſpaſiani & Muciani mores deſcribit, egregium dicit Principatus Temperamentum, ſi demtis utriuſque vitiis, ſolæ Virtutes miſcerentur. Manius Lepidus *l.* 3. *Annal. c.* 50. cenſet, quod Suppliciis & Remediis Principis Moderatio temperet: quomodo Helvidius Priſcus Moderatione plura,

ra, quàm Vi perfecit, *lib.* 12. *Annal.* c.49. ſecus atque Felix *d. l.* 12. c 54. qui non pari moderatione egit; cuncta malefacta ſibi impune ratus, quia magna potentia ſubnixus. Erravit errorem Politicum. Tiberius ſapientior, qui in oratione ſua, quâ Judicium adverſus Piſonem inſtituit, uſus dicitur Tacito meditato Temperamento *l.* 2. *Annal.* c. 12. quod Caractaſus *l.* 12. *Annal.* c. 37. deplorat dicens: Si quanta Nobilitas & Fortuna mihi fuit, tanta rerum proſperarum Moderatio fuiſſet, Amicus potius in hanc Urbem, quàm captus veniſſem. Valens, ortâ & compoſitâ ſeditione Militum, utili Moderatione, non ſupplicium cujuſque popoſcit: ac ne diſſimulans ſuſpectior foret, paucos incuſavit, gnarus, civilibus bellis plus Militibus, quàm Ducibus licere, *l.* 2. *Hiſtor.* c. 29. Ubi Vectius Bolanus Britanniæ præfuit placidius, quàm feroci Provincia dignum eſt, temperavit Agricola Vim ſuam, ardoremque compeſcuit, nè increſceret, peritus obſequi eruditusſque utilia honeſtis miſcere; *Tacit. in Agric.* c. 8. Ex his ſatis apparet, Statum in Temperamento conſiſtere, quod ſemper mediâ viâ incedit, ita ut nec lædere, nec parcere videatur. Quo obſervato effectus ex antea dictis perſpicuus, & benè Imperator de *LL. Nov.* 7. c. 2. Lex ad humanæ Naturæ varietatem, &, quod

ſemper

ſemper venit, moderata per omnia permanet.

§. 10. Ratio Statûs autem temperat Rempublicam, ſed civiliter, vel ſecundum Artes civiles. Sed quæ ſunt Artes illæ civiles? Scilicet, quæ aptæ temperandis animis, ob quas Druſus laudatur, *l.*3. *Annal. c.*31. Et civilis ille, qui utrunque ſe Reſpublica dat, vel Fortuna permittit, ſe aut explicat, aut contrahit; ut judicat Seneca de *Tranquill. anim c.* 3. Tacitus *lib.* 1. *Annal. c.*33. de Germanico dicit, quod ipſi fuerit civile Ingenium, (quale Regnantibus in aliis ſui ſimilibus minimè placere credit Idem *lib.* 2. *Annal c.*82. atque optimè) mira Comitas. & diverſa à Tiberii Sermone, vultu, adrogantibus & obſcuris. De Tito *l.* 2. *Hiſt.c.*5. dicit, quod Natura atque Arte compoſitus alliciendis etiam Muciani Moribus, quod Tribunos Centurioneſque & Vulgus Militum Induſtriâ, Licentiâ, per Virtutes, per Voluptates, ut cuique Ingenium, adſciverit. Itali civilitas *l.*x1. *Annal. c.*16. deſcribitur, quod Germanorum Rex, nullis diſcordiis imbutus, pari in omnes ſtudio egit, modò Comitatem & Temperantiam nulli inviſam, ſæpius Vinolentiam ac Libidines, grata Barbaris uſurpans. Ita Auguſtus *l.* 1. *Ann. cap.* 54. civile rebatur miſceri voluptatibus Vulgi: & meritò Populum molliter habuit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

buit, cum Princeps novum Regimen firmaret. Nec Succeſſor Tiberius audebat illum ad duriora vertere *d. l.* 1. *Annal. c.* 54. Favorem vulgi Reipublicæque Piſo per Civilitatem acquirit, *l.* xv. *Ann. c.* 48. Ita enim Tacitus. Clarô apud vulgum rumore fuit per Virtutem, aut ſpecies Virtutibus ſimiles. Namq; facundiam tuendis Civibus exercebat, largitionem adverſus Amicos, & ignotis quoque comi ſermone & congreſſu: aderant fortuita, corpus procerum, decora facies; quæ certe ſi non faciunt, tamen commendant Civilitatem: Illeque ipſe lenitati & Magnificentiæ, & aliquando luxui indulgebat. Optima deerant; Gravitas Morum & Voluptatum Parſimonia: Othonis Civilitas, ubi ſpem Succeſſionis in Imperio cogitat, & Studia Militum ac hæc obtinendum affectat, deſcribitur *l.* 1. *Hiſtor. c.* 23. Scilicet Otho in Itinere, in agmine, in Stationibus, vetuſtiſſimum quemque Militum, nomine vocans, ac memoriâ Neroniani Comitatus, Contubernales appellando, alios agnoſcere, quoſdam requirere, & pecunia aut Gratiâ juvare, inſerendo ſæpius quærelas, & ambiguos de Galbâ ſermones, quæque alia turbamenta Vulgi. Satis civilis hôc in caſu Otho. Titi rurſus Civilitas habetur *l.* 5. *Hiſtor. c.* 1. ubi jam majore vi famâque egit atque *lib.* 2. *Hiſtor. c.* 5. clarus militia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

privatis utriuſq; rebus, certantibus provinciarum & Exercituum Studiis: Atque ipſe ut ſupra Fortunam crederetur, inquit Tacitus, decorum ſe promtumque in armis oſtendebat: comitate & alloquiis officia provocans: ac plerumque in opere, in agmine, Gregario Militi miſtus, incorrupto Ducis Honore. Agricolæ civilitas habetur apud *Noſtr. c.6.8. & 9.* in quibus digna reperiuntur notatu. Germanicus cum in Ægyptum venit, multa in Vulgus grata uſurpat, ſine Milite incedere, pedibus intectis, & pari cum Græcis Amictu, *lib.2. Annal. cap.* 59. Vitellius quidem hanc civilitatem etiam exercere diſcupit; ſed diſpari Succeſſu? Etenim, *l. 2. Hiſtor. cap.* 91. Comitia Conſulum cum Candidatis civilitèr celebrat, omnem infimæ Plebis rumorem, in Theatro, ut ſpectator, in Circo, ut Fautor, affectavit; quæ grata ſanè & popularia, ſi à Virtutibus proficiſcerentur. Memoriâ vitæ prioris, indecora & vilia accipiebantur. Caveat E. quiſquis eſt Magnatum, hanc Maculam habeat. Solum Fundamentum Civilitatis Politicæ Virtus. Corbulo omnium ora in ſe vertit, corpore ingens, verbis magnificus, & ſuper Experientiam Sapientiam, etiam ſpecie inanium validus, *l.13. Annal. cap.* 8. Ptolomæus Ægyptios inſigni moderatione in favorem ſui ſollicitavit, & Re-

ges

ges finitimos beneficiis obſequiiſque devinxit, apud *Iuſtin. l.* 13. *Hiſt.c.*6. Eumenis artes civiles inter Agyraſpidas Alexandri M. deſcribit *Idem lib.* 14. *Hiſt. cap.* 1. quas legere poteſt Amator Civilitatis. Satis ſuperque Fundamentum Civilitatis demonſtratum, & quomodo ea exercita ab Imperatoribus, vel in Regnô inchoato, vel in Regnô confirmato, vel etiam in regnô affectatô & turbato. Benè autem Civilitas hæc obſervanda; cum aliquis de ſe loquitur: Veſpaſianus, principiô Regiminis civilia de ſe loquitur, de Republica egregia, *l.*4. *hiſt. c.* 5. Germanicus Legatis Artabani. Parthici Regis, de Societate Romanorum Parthorumque magnificè, de Adventu Regis & cultu Sui, cum decore ac modeſtia reſpondit, *l.* 2. *Annal cap.*58. Aliquandô Civilitas Matri Regis in defendenda hujus Amica indulgere permittit, quod facit Tiberius *l.* 2. *Annal. c.*34. Sic nonnunquam civile eſt, ſimulare, præprimis iram. Ita Tiberius per Piſonem, nobilem & ferocem Virum accenſus, quando ille ſpretâ Auguſtæ potentiâ trahit in Jus Urgulaniam, domôque Principis exire auſus eſt, in præſens civilitèr habuit, ſed in animo revolvente iras, etiamſi Impetus offenſionis langueret, memoria valebat, *l.* 4. *Ann.c.*21. Junia dum fermè cunctos Proceres cum Honore in Teſtamento nominat,

Cæſarem omittit, quod civiliter acceptum, *lib.*3. *Ann.* c. 76. Imò ſæpè civile, præprimis Principi, primô locô ſententiam non dicere, nè cæteris aſſentiendi Neceſſitas fiat, quod ratione Druſi, Conſ. deſignati in caſu lepidæ obſervat Tiberius *l.* 3. *Annal.* c. 22. Civile eſt, cum ii, qui in Tempeſtate Populi & fluctibus jactantur, Modicè ferunt Populi Voluntates, alliciunt alienas, retinent partas, placant turbatas: *Cic. orat. pro Cn. Planc.* Civile eſt, quando Rheſcupori, ob cædem Cotyis & turbatam Rempublicam, in Urbem trahendo molliter reſcribat Tiberius, ut decipiat, *l.* 2. *Annal.* c. 66. quando Caſperium, ut Hiberi obſidio Cornearum diſcedant, expoſtulantem Pharaſmanem detinet, propalam incerta, & ſæpius molliora reſpondet, uſque dum Caſtellum deditum, *l.* 12. *c.* 46. quando Sabinus *l.* 4. *Ann.* c. 47. donec Exercitus in unum conducatur, dat mitia reſponſa, *lib.* 4. *Annal.* c. 47. quando Montanum, Ingeniô praeferocem, (modò non anteà accenſum) molliora referre jubet Civilis, *lib.* 4. *Hiſt.* c. 32. Minimè autem civile, tacere, ubi diſpoſitu & proviſu opus, quemadmodum de Muciano loquitur *l.* 2. *hiſt.* c. 5. Cum E. ſeditione, gravitate annonæ, ſurgente Cæſar ſiluerit, ſilentium ipſius non civile, ut crediderat, ſed in ſuperbiam accipiebatur, *lib.* 6. *Annal.* c. 13. Civiliter fecit

Minu-

Minutius, cum Sejani Amicitiam modeſtè habuerit, licet ipſi hoc non profuerit, indignante Noſtrô *l.6. Annal.c.7.* Civilis Otho *lib.1. Hiſt. c.13.* quando Comiter adminiſtraſſe Provinciam dicitur: Civilis Senatus, cum pleraque Sapienter reſpondit *l. 3. Annal. cap.16.* interrogante crebrius Tiberio, qualem Piſo diem ſupremum Noctemque exegerit. Civilis L. Piſo, qui, quoties Neceſſitas ingrueret, omnia ſapienter moderatus, *l. 6. Annal. c. 10.* Hæc Civilitas autem in Ratione Status, alia eſt in Regno fundando: ubi novum Imperium inchoantibus utilis Clementia Fama, *l.3. Hiſt. c.63.* quam neglectam in Tiberio vituperat Tacitus, *l.4. Annal. c. 7.* ideoque ille à ſe cædem Poſtumi Agrippæ ad Saluſtium Cripum devolvere voluit, *lib. 1. Annal. cap.6.* Sic caſtigat Mithridatem Noſter.*l.*XI *Ann. c. 9.* quod atrocior fuerit, quàm novo Regno conduceret. Sic Vitellium, cœsô Dolabellâ, *lib. 2. Hiſtor. c.64.* Fecit enim hoc magnâ cum Invidia novi principatûs. Auguſtus pauca admodum Vi tractavit, quò cæteris Quies eſſet, *lib. 1. Annal. c.9.* Quibus artibus ſatis civilibus Veſpaſianus uſus, docet *Idem. l. 2. Hiſtor. c.82.* quibus Agricola, *c.21. in Agric.* quibus Sejanus, *lib. 4. Annal. c. 1. & ſeq.* quibus Artabanus *lib.6. Ann. c.44.* quibus Corbulo in fundatione

Imperii militaris, *l.* 13. *Annal. c.* 35. quibus Piſo *l.* 2. *Annal. c.* 55. quibus Germanicus in Exercitus poſt cladem acceptam, Recreatione *l.* 1. *Annal. c.* 71. Certè, ſi ullibi accuratus, ingenioſus noſter Politicus, in Veſpaſianô, præprimiſque in Agricola habetur, quò te remitto. Altera Civilitas Rationis Statûs in Regno fundato. Auguſtus Potentiæ ſecurus, *lib.* 3. *Annal. cap.* 28. quæ Triumviratu juſſerat, abolet, & jura dat, quis pace & Principe utatur: acriora ex eo Vincula, & inditi Cuſtodes: Imò etiam pacem cum illo ſuſtentare, *lib.* 1. *Annal. c.* 4. nè compoſita turbentur, cum Tiberio *l.* 2. *Annal. c.* 65. anxium eſſe, cum Mucianô *l.* 2. *hiſt.* 5. providere & diſponere, maximè neceſſarium eſt. Ultima denique Civilitas eſt etiam in Regno turbato: atque ita alia eſt in Bello, quod non incipiendum, niſi prioribus firmatis, *l.* 12. *Annal. c.* 32. Quò minus direpta Colonia Agrippinenſis, obſtabat Ratio Belli *l.* 4. *hiſt. c.* 63. Eadem belli Ratio obſtabat, *lib.* 3. *Hiſt. c.* 51. quò minus cædem Fratris, à Fratricida ideò præmium poſcente factam ulciſcerentur: quò nec honorarent Duces, Jus Hominum. Ita *lib.* 1. *Hiſt. c.* 28. Nocuit Galbæ antiquus Rigor & nimia ſeveritas, cui impares fuerunt Romani, tumultuantibus Militibus, cum potuerit animos conciliare quantulacunque libe-

liberalitate. Hic non uſus Civilitate. Alia eſt in Pace Civilitas, ubi regnum turbatum. Pax & Quies bonis Artibus indigent, *lib*. 4. *Hiſtor*. *c*. 1. quæ cauſas & Merita ſpectat, *l*. 1. *Annal*. *c*. 48. ut ſpectare debet: cum turbatâ Republica quædam ex Neceſſitate permittenda, quæ aliàs Pace ſolidè ſtabilitâ non permitterentur. Vide ſupra *cap*. 6. §. 5. Et hæc ad Definitionis Explicationem.

§. 11. Ratio Status autem eſt vel Monarchica; vel Ariſtocratica; vel Politica. Neque enim ſemper eadem eſt numerô, licet quandoque ſpecie convenire poſſit, quatenus ea ineſt generaliter Reipublicæ omni. Quod ad Monarchicam Statûs Rationem, eam conditionem eſſe imperandi, inquit ſapiens Criſpus, *l*. 1. *Annal*. *c*. 6. ut non aliter Ratio conſtet, quàm ſi Uni reddatur: cæteras idem habet *l*. 6. *Annal*. *c*. 42. ubi Populi Imperium juxta libertatem; paucorum Dominationem, Regiæ libidini propiorem eſſe credit & concedit. *Vid*. *Cap*. 3. *de Diviſion*. Statûs; quæ enim de Statu, ea etiam de Ratione Statûs ſub modô dici poſſunt.

§. 12. Quia, confirmante Senecâ, *ep*. 66. Ratio Naturam ſequitur: Naturæ enim Imitatio eſt Ratio; facilè concludere licet, Rationem Statûs non ſuperiorem eſſe Jure naturali; ſi nec Jure Naturali, multò minus divinô Jure. Pietatem & Juſtitiam ex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

Regnô amovere, eſt ex Regno facere Latronum & Prædonum Habitaculum, prout notum eſt etiam iis, prima qui civilis prudentiæ Præcepta intelligunt. Benè Imperator. §. 11. *Inſt. de Iur. Natur. Gent. & Civil.* Naturalia Jura, quæ apud omnes Gentes peræquè obſervantur, divinâ quâdam Providentiâ conſtituta, ſemper firma atque immutabilia permanent. Si E. Ratio Statûs hæc pervertit, pervertit ipſam Rationem naturalem pervertit ipſam Rempublicam. Neque ſuperior eſt Jure Gentium. Cave enim Legatos violes, quos ſanctos hoc Jus facit. Ad Milites Germanicus *lib.* 1. *Annal.* *c.* 42. acerrimè: Hoſtium Jus, & ſacra Legationis, & Fas Gentium rupiſtis: Rarum etiam inter Hoſtes, Legatos violare, *d. lib.* 1. *Annal. cap.* 39. judicat Tacitus. Sed num potior Jure communi? Ita quidem videtur. Cum Senatus Romanus inter Filios Tiberii & Leges diſceptat, victa ſine dubio lex, ut Tacito *lib.* 2. *Annal. c.* 51. dicitur. Tiberius etiam pro Ratione Statûs Monarchicâ, ceu callidus & novi Juris Repertor pervertit vetus SCtum, quô Quæſtio in Caput Domini prohibebatur, *lib.* 2. *Ann. c.* 30. Eundem ad modum progreſſus in Accuſatione Silani, *lib.* 3. *Annal. c.* 67. Auguſtus horridam Antiquitatem flectit ad præſentem Uſum, *lib.* 4. *Annal. c.* 16. L. Valerius, Tribu-

Tribunus Plebis apud Livium *lib.* 34. *hiſtor.* decidit hanc Quæſtionem, qui Legem perpetuæ Utilitatis causâ latam minimè abrogandam cenſet, niſi quam aut Uſus coarguit, aut Status Reipublicæ inutilem facit. Vix igitur vincet Ratio Statûs, Jus univerſale, ſed potius temperabit, ubi contrarii Caſus occurrunt, qui Jus hoc commune offendunt. Non ipſum Jus, ſed ipſius Qualitas, non in Univerſali, ſed Particulari flectetur, quomodo adhuc ſalvum integrumque perſtabit Jus commune, & majus Statûs Ratione habebitur. Imò contra Rationem Statûs, tale Jus velle mutare. Mutatum in totum reſpuit, non temperatum.

§. 13. Tacitus *lib.* 1. *Hiſtor. c.* 4. & Rationem Statûs Romani, & poſt Cauſas etiam noſcendas apponit. Quod cauſas impellentes concernit, eas dedimus Cap. VI. Quæ enim Statui, eas etiam Rationi Statûs communes arbitror: Speciales ſi dandæ, puto Rationem Statûs formare vel Locum, vel Populum, vel Tempus. Sapiens enim inter ſe omnia comparet, majus ejus opus aut minus fit, quamvis idem ſit, Tempore, Locô, Causâ, inquit *Senec. epiſt.* 81. Et idem ille Sapiens omnia examinat ſecum: Quantum, à Quô, Quomodo, Quando, Ubi, Quemadmodum, *Epiſt.* 81.

§. 14. Locus, in quo Regimen, probè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

ſervandus apud Animum. Quantum Locus faciat in Natura Populi, *Cicero lib. 2. de Divinat.* prolixè oſtendit, & ſeverior Loci diſciplina firmat ingenium, aptumque, magnis conatibus reddit, inquit Seneca, *ep.* 51. Ipſe Ego de Ratione Statûs ita: Ratio Status in Loco firmat Imperium, aptumque reddit magnis Conatibus. Aliam Rationem Status Romæ, aliam in Hiſpania, aliam in Gallia, Britannia, Africa, Rhætia, Thracia deſcribit *Tacit. d.l.* 1. *Hiſt. c.* 4. *& ſeqq.* Neque Locorum omnium eadem Ratio. Si Ægyptum conſideramus, clariſſimè patet, Locum Rationem Statûs facere. *Tacit. l.* 2. *Annal. cap.* 59. de Auguſto ita: Auguſtus inter alia Dominationis arcana, vetitis, niſi permiſſu, ingredi Senatoribus, aut Equitibus Romanis illuſtribus, ſepoſuit Ægyptum, nè fame urgeret Italiam, quiſquis eam Provinciam, clauſtraque Terræ & Maris, quamvis lævi præſidio, adverſus ingentes Exercitûs inſediſſet. Et curatiùs *lib.* 1. *Hiſtor. cap.* X.I. Ægyptum copiaſque, quibus coërceretur, jam inde à Divo Auguſto, Equites Romani obtinent loco Regum. Ita viſum expedire, provinciam aditu difficilem, annonæ fæcundam; ſuperſtitione ac laſcivia diſcordem & mobilem, inſciam Legum, ignaram Magiſtratuum domi retinere. Adde *l.* 12. *Annal. cap.* 60. & pleniùs concludes Rationem Status

Status ob Locum formatam. *Cicero orat. de L. Agrar. contra Rull.* dicit; Campaniam afferre ſuperbiam. Inde, inquit, illam Arrogantiam & Intolerandam ferociam Ratione & Conſilio Majores noſtri ad inertiſſimum & deſidioſiſſimum ocium perduxerunt, Ratio Status ob Locum. Eandem Rationem Status Cræſus Lydiæ imperat, apud *Iuſtin. lib. 1. hiſtor. cap. 7.* Ex Loco. Apud Samios decretô Amphictyonum præcipuum fuit rerum omnium Judicium, quâ tempeſtate Græci, conditis per Aſiam Urbibus orâ maris potiebantur, *l. 4. Ann. c. 14.* Ex Locô Ratio Statûs deſumta. Quia non omnia fert omnis Tellus, & India mittit Ebur, molles ſua thura Sabæi; Commercia in hoc vel illo Regno pro Ratione Statûs formanda. Sic negociati Romani cum Suevis, licet hoſtibus, *lib. 2. Annal. cap. 62.* In *Agricol. cap. 24.* dicit idem, quod Hibernia mediô inter Britanniam atque Hiſpaniam ſita, & Gallico mari opportuna, valentiſſimam Imperii partem magnis invicem Uſibus miſcuerit, cujus etiam aditus, portuſque per Commercia & Negociatores cogniti. Vide, quomodo Ratio Statûs ſervata ex Loco in Commerciis. Imò Locus ſuadet caſtella, quæ vaſtatis uſque ad Taum Nationibus, Agricola poſuit, annotantibus peritis, non alium Ducem opportunitates Lo-

corum

corum ſapientiùs legiſſe, *in Agricol. c.* 22. Suadet Bellum etiam, ubi gerendum. Ex loco format Rationem Statûs bellici contra Romanos pro Antiocho Annibal polito conſilio, apud *Iuſtin. lib.* 31. *c.* 5. Tomyris Scytharum Regina contra Cyrum, apud *Eund. lib.* 1. *Hiſt. c.* 6. Suadet Locus alia, quæ in Loco accuratiſſimè penſitat Ratio Statûs. Quædam quæ licent, Tempore & Locô mutatô non licent, Seneca dicit *l.* 4. *Controv.* 25.

§. 15. Secundam cauſam Rationis Statûs dedi Populum. Ut enim Locus ab alio: ita Populus ab altero diverſus: hujus moribus variantibus variatur etiam Regimen & Ratio Statûs ob Populum efformatur. Bellè hîc, ut in omnibus Noſter *lib.* 4. *Ann. c.* 33. Noſcenda vulgi Natura, & quibus malis temperanter habeatur: Senatuſque & Optimatium Ingenia perdiſcenda: talis faciens callidus temporum & ſapiens creditur. E. in Abſtracto etiam Sapientia & Ratio Statûs, ubi vulgi vel Populi Mores obſervantur. Hoc etiam Ariſtoteles *lib.* 7. *polit. c.* 7. requirit, dum Indolem civium ſcrutari præcipit. Ipſe curioſus eſt in indagandis Populorum moribus & dicit: Europæi & frigida loca incolentes ſunt animoſi, arte tamen & intelligentia minus ſolertes, Libertatis cuſtodes: Aſiani intelligentes ſunt, ſed non animoſi:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

moſi : Græcorum Genus utraque Naturâ præditum : Syri & Aſiatici Genera Hominum ſervituti nata, *Liv.l.*36. Regem non ſic

——— ——— Ægyptus & ingens
Lydia, nec Populi Parthorum, aut Medus
Hydaſpes
Obſervant ———

ut canit Maro. Serviunt Syria, Aſia, & ſuetus Regibus Oriens, inquit Civilis ad Gallos *lib.* 4. *Hiſt. c.* 7. Macedones aſſueti Regio Imperio, ſed in majore libertatis Umbra, quàm cæteræ Gentes, *Curt. lib.*6. Cappodes munus Libertatis abnuunt, negantes, vivere Gentem ſine Rege poſſe, *Iuſtin.l.*38. *c.* 2. Parthorum Ingeuia ſunt tumida, ſeditioſa, fraudulenta, procacia. Ipſis in externos aut domeſticos Motus inquieti, Natura taciti ad faciendum, quàm ad dicendum promtiores. Fides dictis promiſſiſque nulla, niſi quatenus expedit. Idem *lib.*41.*c.* 3. Barbaris, qnantò quis audaciâ promtus, tantò magis fidus, rebuſque motis potior habetur : inde etiem Arminius, quando bellum ſuadebat, validior, *lib.* 1. *Ann. c.* 57. Benè monet Abbarus Meherdatem, ob Naturam Populi, urgeret cæpta ; Barbarorum impetus acres cunctatione lanqueſcere, aut in perfidiam mutari *lib.* 12. *Annal. cap.* 12. quô non obſervata periit Meherdates. Arabes dicuntur leves *d. l.*12. *c.*14. Thraces *l.*4.

Annal.

Annal. c. 46. Tacito deſcribuntur, iique multis. Cum Montium editis inculti & ferocius agentes. Super Hominum Ingenium ferox pati delectûs, & validiſſimum quemque Militiæ Romanæ dare aſpernantur: nè Regibus quidem parere, niſi ex Libidine ſoliti, aut, ſi Romani mittunt auxilia, ſuos Ductores præficere, nec niſi adverſum Accolas belligerare. Hiberi Albanique ſaltuoſos locos incolentes, duritiæ patientiæque magis inſueſcunt, *l* 4. *Annal. c.*34. Batavi ipsô adhuc terræ ſuæ ſolô & cœlo acrius animantur, de Germanorum Moribus *Noſter. c.*29. Armenii, ut ambiguâ fide, ſitu terrarum, ſimilitudine Morum, Parthis propiores, concubiiſque permiſti, ac libertate ignotâ illuc magis ad ſervitium inclinantes, *lib.*13. *Annal. c.*34. Gens mutatu facilis, ut ſegnis ad pericula, ità infida ad occaſiones, *lib.*14. *Ann. c.*23. Silurum Gens non atrocitate, non Clementiâ mutatur, quin bellum exerceat, *l.*12. *Ann. c.*32. Jazyges obſidionis impatientes, & proximos per Campos vagi, *d. lib.*12. *c.*30. De Romanis Galba ad Piſonem *l.*1. *Hiſt. c.*16. Imperaturus es Hominibus, qui nec totam Servitutem pati poſſunt, nec totam Libertatem: de Sarmatis *l.*1. *Hiſt. c.* 79. judicat Noſter, poſt Mores, quod omnis Sarmatarum virtus, velut extra ipſos. De Britannis refert

Agric.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

Agric. c. 8. quod Britanniæ placidius, quàm feroci provinciâ dignum, Verctius Bolanus præfuerit. Artabanus *lib.* 6. *Annal. cap.* 36. ob Parthorum Naturam format Rationem Statûs. In longinqua & contermina Scythiæ fugam maturat, ſpe auxilii : atque interim poſſe Parthos, abſentium æquos, præſentibus mobiles, ad pœnitentiam mutari. Ita Rex Arabum Abbarus *l.* 12. *Annal. c.* 12. Ita pro Ratione Populi informat Meherdatem Claudius *d. lib.* 12. *cap.* XI. Neque enim Princeps benè regnabit, ubi Subditorum Ingenia explorata non habebit, quibus forte an ſecundum Virtutes aliorum vult imperare. Peccat Vonones *lib.* 2. *Annal. c.* 1. Romanas Virtutes inter Parthos exercens : etenim ut ignotæ hæ Parthis virtutes fuere nova vitia, & quia ipſorum Moribus aliena, perinde odium pravis & honeſtis. Ex his E. ſatis benè concludere potes, Cauſam ad Rationem Statûs validam eſſe Naturam & Mores Populorum.

§. 14. Tertiam denique cauſam Impellentem ad Rationem Statûs addo Tempus. Tempus quidem non agit, ſed omnia fiunt in Tempore, & qui non obſervat Tempus, ἀπολιτικῶς agit. Maxima Rerum momenta punctô Temporis vertuntur, ſec. Livium. Habeatur Temporis Ratio, clamat *Senec. epiſt.* 81. In tempore venire, omnium Re-

rum

rum eſt primum, inquit Comicus, Si ulli- bi, magna vis Temporis in Republica eſt, ut Cicero dicit *lib.* 2. *Epiſt.* 7. Serviendum eſt Tempori, admonet idem Orator *l.* 9. *epiſt.* 7. quod omnes Politici etiam præcipiunt, *ſec. Eund. lib.* 13. *Epiſt.* 50. Et neceſſe eſt in converſioue & Perturbatione omnium Rerum, temporibus potiùs parere quàm moribus. *Id. Orat. Philipp.* XI. ut etiam eæ ſententiæ, quas Reipublicæ Status. Inclinatio Temporum, Ratio Concordiæ poſtulant, defendendæ, *Id. orat. pro Cn. Planc. fin.* Si Tacitum noſtrum rurſus evolvimus, multa Hic habet pro Tempore. Quaſi parùm in Tempore incipientes Principis Curas onerentur Milites rebelles, Blæſus dicit *lib.* 1. *Annal. c.* 19. Ubi Agrippina Brunduſium venit cum Germanici cineribus, voce an ſilentio, vel quid pro Tempore faciendum, non conſtabat, *l.* 3. *Annal. c.* 1. Interim tamen ut illi, Milites, ex mente Blæſi, ſecus ex ipſorum Conſiliô, negligentes, ſic hic populus Rom. curioſus fuit Temporis in excipiendis Germanici Cineribus. Tempus igitur obſervandum Imperium ambienti. Nero arte Matris ad regnum evectus, ubi Milites diſſentientes deprenhendit, congruentia Tempori præfatus, promiſsô Donativô; *l.* 12. *Annal. c.ult.* Livia non prius Auguſtum mortuum dicit, donec proviſis,

quæ

quæ Tempus monebat, ſimul exceſſiſſe Auguſtum, & rerum potiri Neronem, fama eadem tulit, *lib.* 1. *Annal. c.* 5. Idem Agrippina facit *d. lib.* 12. *Annal. c.* 68. Idem Veſpaſianus, cui Tempus Locuſque verſantur ante oculos, *l.* 2. *Hiſt. c.* 80. Ubi cuncta diſcordiis civilibus feſſa, nomine Principis Auguſtus Imperium accipit, *Tacit. l.* 1. *Annal. cap.* 1. Benè ex tempore. Conſilia etiam Tempori applicanda: Ea enim Conſilia infelicia, quorum tempus effugit, *l.* 1. *hiſt. c.* 39. Magna pars Conſilii eſt in Tempore, *ſec. Senec. Epiſt.* 71. Etiam Leges; Placuerunt Leges Oppiæ, ſic remporibus Reipublicæ poſtulantibus, *l.* 3. *Annal. c.* 34. Etiam, & Maximè Res dubiæ Peligno, ut Regnum Rhadamiſtus capeſſat Autor, oppoſitus Priſcus, rebus turbidis ut pro Tempore conſulat, *l.* 12. *Annal. cap.* 49. Sic tumultuante Exercitu Druſus Filius à Tiberio mittitur ad illum, nullis ſatis certis mandaris, è Re conſulturus, *l.* 1. *Annal. c.* 24. Temporis præterea Rationem habet Phrahater apud *Iuſtin. lib.* 38. *c.* 9. qui Demetrium non miſericordiâ vel reſpectu Cognationis ſervat, ſed quod Regnum Syriæ affectat, uſurus Demetriô adverſus Antiochum Fratrem, prout Res, vel Tempus, vel Fortuna belli exegerit. Sic Tiberio *l.* 11. *Ann. c.* 63. Maroboduus Ravennæ habitus, qui, ſi quaodo inſo-

inſoleſcerent Suevi, quaſi rediturus, in regnum oſtentabatur. Sic Agricola expulſum ſeditione domeſticâ unum ex Regulis Gentis Hibernæ excepit, ac ſpecie Amicitiæ in occaſionem retinebat: *Tacit. in Agric. c.* 24. Ita obſervat Tempus Vologeſes in controverſiis dirimendis, Locum Tempuſque conſilio deſtinatum, quid de Armeniâ, pro Fratribus quidem Pæto reſcribens, ſed ſibi ſic, ubi commodum, reſervans, *l.* 15. *Ann. c.* 14. Mithridates in rebus afflictis, qui nullô in armis ſubſidiô ſupplex; cultu vultuque quàm maximè ad præſentem Fortunam comparato, Regiam Eunonis ingreditur, genibuſque ejus provolvitur, *l.* 12. *Annal. cap.* 18. ſed paulò poſt ferociùs, quam pro Fortuna, apud Cæſarem diſſerit, *d. l.* XII. *Annal. cap.* XI. ut etiam victus Curactacus *d. l.* 12. *c.* 37. & Moroboduus, qui ad Cæſaris miſericordiam fugiens, non ut profugus & ſupplex, ſed ex memoria prioris Fortunæ ſcribit, *lib.* 2. *Annal. cap.* 63. Neuter ex Tempore: Bene autem ex Tempore duo utuntur Politico Lingonum Legati *lib.* 1. *Hiſtor. c.* 54. & Suilius *l.* 13. *Annal. c.* 42. qui mutatione temporum, non quantùm inimici cuperent, demiſſus, qui imperitante Claudio terribilis ac venalis fuit. Agricola commendatur *cap.* 6. *in Agric.* quod, licet Quæſtor & Tribunus Quietem tamen &

ocium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

ocium amaverit, gnarus ſub Nerone temporum, quibus Inertia pro Sapientia fuit. Peccavit contra Galba *lib. 1. Hiſtor. c. 5. fin.* Temporis non intelligens: ideò odium promeruit. Præter adductas Species actionum Tempori etiam ſervire debet, Simulatio, ut proinde Nero caſtigetur à Tacito *l. 4. Ann. c. 59.* cum Sejanus eum inſectaretur, quid in præſentiarum conduceret, oblitus, quando à Libertis & Clientibus capiſcendæ potentiæ properis extimulatur. Imò & Militia, ſic enim auxilia cohortium ex uſu temporis huc illuc meâſſe, creviſſe numero, vel minuta fuiſſe, docet Idem *lib. 4. Annal. cap. 5.* Et Rei Abſolutio, quomodo T. Vinius ex carcere dimiſſus mutatione Temporum, *l. 1. Hiſtor. c. 48.* Tandem ſi aptum Tempori Mendacium, probari videtur Noſtro *lib. 3. Hiſtor. cap. 75.* vix mihi ſi Rebelles etiam in Tempore ſe efferunt, cum Galliarum Proceribus *l. 3. Annal. c. 41.* contra eat Princeps, & ubi poteſt, omnes vinciat, nocentes & innocentes; fore enim Tempus ipſi credat, quò crimina & innoxius diſcernat, quale Conſilium pro tempore, Germanis rebellionem parantibus, dat Q. Varo Segeſtes *ap. Noſtr. lib. 1. Annal. c. 55.* quo non obſervato miſerè periit Exercitus Romanus. Ultimum Tempus Pax reſpicit: & tunc optimum Tempus de pace agendi, dum ſibi

uterque

uterque confidit, ut judicat Cæſar *l. 1. de bell. c.* 10. En! ſotis Rationum pro Ratione Status quoad Tempus formandâ. Atque hæc mea etiam pro Tempore ſcripta. Temporum Moderatori Deo pro Ratione gratiæ agendæ:, regat hic præſentia & interiora Tempora, Noſtrumque Statum, qui Mundi & Imperantium Statum ordinat, cui optimam quoque & ad Dei Verbum formatam Statûs Rationem commendamus. Pro hic omnibus & ſingulis

Ieſu, Tibi Gloria!

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 A 53 [1]